BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Dorn, Gerhard / Philipp <Hessen, Landgraf, I.> / Wilhelm <Bayern, Herzog, IV.>

Clavis Totius Philosophiae Chymisticae Per quam potissima Philosophorum dicta referantur

Herbornae 1594

Bibl.Sud. 1343
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10174070-5

**Copyright**

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10174070

НЛЗ
1
540

10174070

Bibl. Jagd. 1343

P. Exp. 30

VIII, 3

# Trithemius.

Alchimia est Virgo perpetua; licet à plurimis ametur: tamen manet casta, quia multas habet ancillas familiares, quæ Dominam suâ vigilantiâ custodiunt, & ejus nomine supponunt ut eam conserunt à commercio tot impostorum amantium, sempiterno tempore intactam. Nam Vanitas, dolus, fraus, sophisticatio, cupiditas, falsitas, confidentia, mendacium, stulticia, paupertas, desperatio, fuga, proscriptio et mendicitas, fideles sunt Chymicæ, quæ Dominam fomentantes, amatam eam inviolatam custodiunt et semetipsas iis percuriosis, averis, cupidis et fatuis prostituunt.

Et redit ad nihilum, qui fuit ante nihil.

10174070

10174070

10174070

10174070

10174070

Vid. Burgerh. de vigiliis Christi in
Theatr. Chronicum Hor.
Ursperg. 8°. pag. 366

# CLAVIS
# TOTIVS PHILOSOPHIÆ CHYMISTICÆ;

Per quam potissima Philosophorum dicta referantur.

*Cui accessit iam recens Artificium supernaturale. Quorum omnium Summarium versa pagella ostendet.*

Per GERARDVM DORNEVM.

Singula per eundem authorem denuò recognita & castigata.

*HERBORNÆ*
Excudebat Christophorus Coruinus.

CIↃ IↃ XCIV.

10174070

# SVMMARIVM TOTIVS OPERIS.

PARS PRIMA *tres tractatus continet.*

*Quorum primus, tria Physices docet principia, quæ Chymiæ Theoriam indicant.*
*Secundus, tria Chymiæ praxis principia.*
*Tertius, manualem praxin, & applicationem ad opus habet.*

SECVNDA PARS, *septem gradus philosophicos docet, per quos studiosorum animi veritatis, ac virtutum eius apicem, & metam, hac in arte contingere valeant.*

Accesserunt:

*Mundi fabrica.*
*Peregrinatio vitæ communis.*
*Erroris via.*
*Veritatis quoq; semita.*

*Præterea quædam recapitulationes singulis capitulis adiunctæ sunt, & Colloquia, quibus Metaphysica quædam, Physicis & Chymicis elucidantur.*

*Item, Artificium supernaturale.*

BSB
MÜNCHEN

Ex libris Antonij Iudicis Sedlbergij
Norbergæ. Anno 1602.

# PIIS AC ERVDITIS VIRIS MEDICIS, QVI THEOphraſti Paracelſi Doctoris Medici libris, aut eorum lectura fructum fecêre, Gerardus Dorn

S. D. P.

*Scio vos non latere fratres, quanam ignominia per orbem afficiant ignari præceptorem noſtrum Theophraſtum Paracelſum, vel quia vident ipſum facilè ſuperaſſe quoſuis noſtri ſeculi Medicos, ac priſcos, tam experientia quàm arte, vel quòd ignaros in genere Medicos, Phyſicos, & chirurgos non immeritò reprehenderit ab enormibus eorum erroribus. Nec vident iſti quàm turpiter ſibi conſcii fateantur ignorantiam ſuam, cum ignaros nõ tam carpere, quàm docere conetur, & doctos in arte ſua quoſque, ſummopere laudare ſtudeat & exhortari. Docti. viri ſibi non attribuunt eam reprehenſionem, tanquam ipſos non concernentem, ſed admirandam eius experientiam conati ſunt imitari potius quàm vituperare. Contrà, qui ſibi-*



Bayerische Staatsbibliothek München

*met ſapiunt, nihil probare ſolent, cuius fuerint ignari: tales ruſtica nimiùm inuidia moti, dentes acuunt in eos, qui ſuo labore prodeſſe conantur omnibus. Quapi*
*(ne tantum facinus n*
*te calamum in eos, q*
*artem deprauare tant*
*ſequi, quorum omne*
*circa ſepultam in ha*
*randam. Quod certè p*
*dum infinitas regiones peregrinando, inuen-*
*nam chymiſticam (non ſine maximis expenſis) noſtro ſeculo ſolus reſtituit. En præmium promeritis, quod ab ingratis hominibus accipit, vtpote calumnias poſt mortem. Ipſo viuente nullus oblatrare fuit auſus: mortuo iam bellum parant inermes. Euge viri boni reſiſtamus, ne cumulus iſte vilis per exemplum auctus, ſi non iure, ſaltem iniuria, bonas artes vnà cum earum Profeſſoribus piis ac veris proſternere præſumant. Non quòd per ſe quidpiam præſtare poſſunt, verùm quia ſe viribus omnino deſtitutos eſſe vident, ipſos ſe dant in prædam gigantibus: nam ſciunt hominum hæc monſtra nihil operis ardui*

*ardui vel præclari, quod non fecerint ipſi, ferre poſſe. Et ne tanto quod ſuſceperunt operi (nempe Iouem ipſum de ſede ſua deiicere) per aliud excellentius aliquãdo ſit in honore diminutum: cùm ex eo ſummos honores ac diuitias hauriant, cateruam ſuam abiectis hominibus augere non verentur: vt quod ab æuo non potuerunt, arte nec ingenio, multitudine iam exequantur & ære. Solent attamen gigantum nonnulli, qui nectaris dulcedinem pauliſper deguſtarunt, eius allecti ſuauitate, viros accerſire, potiſſimũ eos, quos Theophraſti doctrina reſciuerunt imbutos fore: non quòd eorum delectentur conſortio, ſed ut blandis verbis ac pollicitationibus venentur, vt ab eis intelligant ſcripta Paracelſi, eorum ingenia ſuperantia. His adhuc non contenti, petunt eorum quæ dicti viri practicarũt vnquam, habere duplum: quod poſtquam obtinuerint, mox friuola quadam occaſione quæſita, ſimulabunt iniuriam ab eis recepiſſe maximam, & rixoſis verbis conabuntur eos terrere, ne vix (vt putant) biſcere ſint auſi: dicentes, hoc opus veſtrum eſt puerile, minus dignum authoritate noſtra: quòd ſi Theologiam tractaret, aut leges,*

*gratum nobis foret opus: abite hinc, opera vestra non indigemus. Sic solent bonos viros laboribus & arte fraudatos & inanes, impudenter dimittere. O pater omnipotens, qualem Theologiam quærunt hi, qui montem montibus accumulant, vt te de cœlis deiiciant! quales expostulant leges, qui iustitiam tolerare non possunt? Sit talibus imbuti non estis artibus, etiam vocati fratres non adeatis: nisi vestro periculo velitis experientiam facere huius historiæ. Expertus hortor, & moneo vos, vt præceptoris nostri teneatis doctrinam, scribentis: Alterius non sit, qui suus esse potest. Interim in Christo primùm, tandem in Theophrasto, fratres charissimi valete, non immemores quantum debeamus præceptori nostro, licet mortuo, iterum iterumq; valete.*

AD

# AD LECTOREM

## PRÆFATIO.

HAbes hîc, optime lector, Theoriam & Praxin totius artis Chymisticæ, quam (nisi velis) ex lectura compendioli huius ignorare non potes. Lege & relege pluries, cum tranquillæ mentis attentione, nil obiter aut inconsideratum pertransiens. Quod si dispersæ nostræ mentis opinionem collegeris, nihil eorum quæ pulchra sunt in hac arte, latere te poterit vnquam. Inuenies hic sub duro cortice veræ medicinæ laticem, quo te, nec non amicos & pauperes à languoribus corporeis (auxilio Dei) subleuare possis. Laborum te non pœniteat in exercendo practicam, quàm tibi descripsimus: nam fabricando nosipsi fabri facti sumus in hac arte, non lectura sola. Quod si fortè contingat, primò vel secundò votum te non consequi, ne desponderis animum, sed tertiò & quartò rem ipsam repetas. Accidit erranti mihi sæpius compotem illius me fieri, quod appetebat animus. Nihil prohibet hominem ad hanc artem peruenire magis, quàm pusillanimitas & impatientia. Hoc solo nunc te monitum velim, quòd medicinæ corporis humani limites in principio non excedas: nam si metallorum vulgarium metamorphosin quæsieris, deplorabis errorem tuum. Vale, æqui bonique labores nostros consule.

## *Philoſophia Chymiſtica quid.* CAP. I.

CHymiſtica Philoſophia rerum latentes formas ſecundùm rei veritatem, & non apparentiam, inueſtigare docet. Huius veri diſcipuli duas ingrediuntur vias, Opinionem, & Experimentum. Quibus contingit harum alteri duntaxat inniti, ſeſe, necnon alios ſua doctrina vel opera falli neceſſe eſt. Quicunque tamen vtramque rimati iudicarint alteram ex altera, hi ſuo labore non fruſtrabuntur, nec alii quibus opem ferent aut conſilium. Opinio quidem dubia præſupponit, philoſophicis tamen rationibus apparentia vera, quæ demum experientia verificari debent. Quapropter & mihi viſum eſt, in hoc opuſculo cõpilando viam vtranque tenere tutiſſimum, ſolis mutatis nominibus in Theoriam & Praxin. Priuſquam tamen vlteriùs progrediar, clauem tradere non grauabor, qua nihil iis qui vocati ſunt occluſum ſit, ſed naturę ſecretorum ſcrinia ſint reſerata. Quod gratis ab Altiſſimo datur timentibus eum, gratis accipite timentes pariter & diligentes Dominum. Studio rerum comparatur notitia. Cognitionem ſubſequitur amor. Deſiderio ſeu delectatione datur aſſiduitas. Frequentia dat experientiam. Hæc virtutem, illa potentiam.

Hac opus mirum perficitur in
rerum natura, quæ
talis eſt.

*Natura*

## *Natura quid.* CAP. II.

APud Chymiſtas natura dicitur, Cœli cum Elementis in generationem omnium quę ſunt excitatio. Quod artificium duplici perficitur inſtrumento, diſpoſitione videlicet, ac influxu. Natura, materiam corrumpendo, diſponit ad potentiam formæ receptiuam, & cœleſtium influxuum: quæ tandem ſuo determinato tempore prorumpit in actum, & formam ſpecificam. Hoc ſibi vult dictum illud philoſophorum: Secundùm diſpoſitionem materiæ agit forma.

## *Quid ſit forma.* CAP. III.

FOrma eſt æthereæ regionis in elementarem actus & potentia. Per elementorum adinuicem tranſmutationem, aptat natura materiam, illi formam tanquam matrici ſemen includens: huius virtute pręgnãs, veluti mater fœtum producit in actum ſpecificum. Id ſibi volunt philoſophi dicentes, Forma deducitur de potentia materiæ. Potens eſt enim ipſa materia parere, quod à forma generatur in illa. Concludendum eſt igitur, quòd forma ſit agens in materiam patientem eius actionem, inter quas natura magnetica ſe mediam præbet tanquam artificem. Hæc quidem ex vniuerſali totius forma, ſpecificas indies formas excitare non ceſſat, nec magis quàm cœlorum motus eſt otioſa.

## *Quid ſit Materia.* CAP. IIII.

MAteria, nobis eſt elementaris regio tota, quæ licet in quatuor partes (quas elemẽta vocamus) diuidatur, ignem, aërem, aquam, & terram, duo tamen ſunt principalia, ſcilicet ignis, & aqua: quia nihil aliud eſſe videtur aër, quàm per calorem, in creatione mundi, perſiſtens aqua reſoluta, terra verò, per calorem & ſiccitatem aqua denſata, vel potius exſiccata. Conatur ignis ex propria natura, dum poteſt, aquam in ſe conuertere, quod vt faciliùs perficiat, duo quærit media, ſecundùm ambas vtriuſque qualitates: prius, vt calore ſuo frigiditatem, illo ſiccitateque ſuis, humiditatem aqueas abſumat. Videmus nubes ignis calore ſuſpenſas, inter aquam & ignem tenere medium, quia ſi calór ignis, qui circa ſuperficiem remiſſior eſt, quàm in ſuæ ſphæræ meditullio, vincatur aquæ frigiditate, medium hoc in alterum extremorum, vtpote vincens, cõuertitur, & ignis (ſic diſponente natura) ſuo conatu fruſtratus, dum vnum abſumere nititur, ex eo generat alterum, quod rurſus in id, ex quo generatum eſt, redit. Hæc rranſmutationis circulatio, generationis eſt potiſſima cauſa. Non abſimile videmus, ignem in corporibus à natura compoſitis exercere. Lignum exemplo ſit admotum igni, quod priuſquam omne humidum aqueum in aërem ſit conuerſum, non flagrat eius ſulphur, hoc tamen abſumto, pariter &

ignis

ignis in aërem, & demum in ſeipſum tranſit, ligni partibus ſolidioribus in cinerem vel terram decidentib⁹: propterea nõ eſt dicendum elementa ligni talis conſumta fuiſſe, ſed à ſuo ſeparata compoſito, quodlibet ad propriam ſphæram rediiſſe. Hac de re facta fuit apud philoſophos quæſtio dubioſa, vtrum plus abſumeret ignis quàm generaret? Sanũ videtur dicere quòd ſint æquales operationes ignis ætherei & elemẽtaris, quia ſi plus abſumeretur igne elementari, quàm generaretur igne æthereo, poſſet aſſignari vacuũ in rerum natura: quod omnino foret abſurdum. Si verò plus generaret ignis æthereus quàm abſumeret elementaris, ſuperfluum non poſſet determinato iam ſuo loco contineri: ſic aluum naturæ ſolui foret neceſſe. Breuiùs tamen reſpondebitur, nihil ab igne conſumi, ſed per tranſmutationis modum, quod ab uno recedit, accedit ad aliud elementum. Sic natura ſagax in dies ex elementis, adinuicem hoc modo tranſmutatis, & forma, nouas excitare formas ſollicitè procurat: vt per generationem reformetur, quod per corruptionem deformatum eſt: ſitque circularis operatio naturæ, ſicut & cœleſtes motus. Solent etiam plærique nimiùm curioſi phyſiologi nondum erperti rerum, nobis hoc argumentum obtrudere, quo chymiſtarum quintam eſſentiam oppugnent, verùm non expugnabunt, niſi validiùs adferant. Corpora (in-

quiunt) naturalia quatuor constant elementis, vbi quintum erit elementum? Respondemus, omnia naturalia corpora constare quatuor elementis simul & forma, quæ etiam aliquid est, & potissima pars cuiusuis cõpositi: nec solùm ex his omnibus, quia non potest fieri vera coniunctio nisi per aliquod vinculum: aliâs erit contactus, vel collisio. Non possunt enim qualitates primę, propter earum inter se repugnantiam, in vnum conuenire. Quapropter necessarium fuit illas in elementa duas qualitates habentia componi, quò faciliùs coniungerentur. Hoc natura vinculo cuncta componit corpora. Philosophi solent nobis id ænigmate tradere, dicentes: Fac pacem inter inimicos, & totum habebis magisterium, nempe chymisticum. De elementis itaque concludendo dicimus, illa fore triplicia, nempe, Simplicia, Composita, & Decomposita. Simplicia sunt, quæ nec corrumpuntur, nec patiuntur compositionem: non ex his, sed per hæc omnia alia inferiora elementa vires suas exercent: quas etiam ab illis sortiuntur. Composita sunt quæ componuntur, & corruptionem patiuntur. Decomposita verò quæ iam in compositione per corruptionem conveniunt. Quicunque hęc in illa, impura in pura, composita in simplicia nouerit conuertere, maximus erit chymista, & mirandorum bonus artifex.

De

## *De corruptione.* CAP. V.

CORruptio chymiſtica nihil aliud eſt, quàm totius à natura compoſiti, ſuas in partes reſolutio. Omne quidem compoſitum, ſi reſoluatur, in id ſolui neceſſe eſt, ex quo compoſitum fuit priùs. Idcirco naturalia corpora in elementa, & in quintam eſſentiam, ex quibus conſtant, reſoluuntur. Non eſt quòd propterea putemus id opinioni repugnare Paracelſi dicentis, Omne corpus naturale per artem in tria ſolùm reſolui poſſe, ſcilicet in Sal, Sulphur & Liquorem, quia ſemper aër liquori vel ſulphuri mixtus reperitur. Ita quód non ſit artis, aërem purum, & ab aliis elementis omnino ſecretum, aliquo vaſe concludere: licet natura nihil vacuum relinquat, ſed aëre compoſito ab initio creationis impleat, tamen aër ille non eſt arte ſecretus ab aliis elementis, ſed permixtus. Chymiſtis indies ob oculos verſatur, nihil à corporibus arte ſeparationis elici poſſe, præter aquam, oleum, & terram. Et licet oleum, in principio ſtillationis, clarius ſit quàm in fine, nihilominus diuerſum natura dici non poteſt, ſed accidente: hoc eſt, in fine magis aduſtum, quàm in ipſo principio. Reſtat vt nunc dicamus, quód noſtra corruptio differt à naturali, per hoc, quòd indiuidua diſtrahit à ſuis ſpeciebus ad ſuum genus. Nullus artifex deſtructa rerum ſpecifica forma, rurſus eandem formam in illam poterit materiam introducere. Natura ta-

men ex elementis, à quibuſuis corporibus, quouis modo ſeparatis, in dies ſimiles prioribus formas,& diuerſas excitare poteſt, & ſummo conatu genera nititur in ſpecies, ad indiuiduorum conſeruationem dilatare. Sed quia corruptio vnius, alterius eſt (vt loquuntur Academici) generatio, meritò de generatione loquemur.

## *De generatione.* CAP. VI.

GEneratio dicitur ex occultatione manifeſti, mox occulti manifeſtatio. Tribus enim dimenſionibus omnia corpora cõcluduntur, videlicet, Altitudine manifeſta, Profunditate occulta,& latitudine has inter media. Philoſophi nobis hoc occultè tradunt his verbis: Non fit tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium: hoc eſt, ex corporis alicuius manifeſta forma, nõ poteſt occulta nobis innoteſcere, niſi per manifeſti corruptionem: qua patefit occulti proprietas: quod geometricè demonſtrabitur, vt meliùs phyſicè queat intelligi. Obuerſa nobis vna facie, ſeu potiùs ſuperficie corporis alicuius ſolidi geometrici, quale per A. literam deſignatur, tali ſitu, quòd reliqua plana non ſint omnino perſpicua, poſſumus longitudinem eius ſuperficiei metiri, quæ nobis eſt manifeſta vel obuerſa, quam 5. pedum fore ponamus: tanta etiam eſt altitudo reliquarum ſuperficierum ſibi inuicem oppoſitarum, b. c. f. quarum plana non

aliâs


4
A
5
6
4
B
C
5
F

aliâs nobis innoteſcunt, quàm per latitudinem 4. & 6. profunditatem, quæ ducta 24. efficiunt, hæc rurſus in altitudinem 5. manifeſtam ducta, 120. pedes ſolidos patefaciunt, antea nobis occultos. Haud abſimili via ſolent chymiſtę corporum naturalium formas latentes inueſtigare, per medium, ſcilicet, verſionem formarum manifeſtarum in occultas. Quæ verſio fit corruptione formæ ſpecificæ, generationeq; generalioris formę, videlicet elementorum decompoſitorum in compoſita, & impurorum in pura conuerſione.

## *De excellentia Ternarii.* CAP. VII.

SAcrato Ternario totus mundus ordine, numero, & menſura per vnitatem conſtructus eſt. Vnitas enim non eſt numerus, ſed concordiæ fœdus. Binarius veró primus numerus, diſcordię fons & origo, per aſſumtionem materiæ diſſectus eſt ab vnitate, & rurſus in vnum coniungi non poteſt, niſi vinculo plurimùm indiſſolubili: quod ſolum vnum eſt. Fruſtrà certè laborat, qui paria paribus copulare nititur, ſed impare ſolo paria conueniunt in vnum. Numero Deus impare gaudet. Vnarius itaque binarium (hoc eſt vnum & vnum) per vnitatis ſimplicitatem in ternarium vincit animatque, nexu quidem inſolubili: nam vnum in aliquas partes diuidi non poteſt. Non enim vnum, atque vnum, duobus coniungi poſſunt, cùm duo, quæ nectere deberent,

rent;in vnum atque alterum per ſe ſolubilia ſint. Reiiciatur itaque binarius,& ternarius reducibilis erit ad vnitatis ſimplicitatem: vt ait Io. Trithemius in epiſt.ad Germanum Gnaum,& vlteriùs; Non eſt humanus mi Germane hic aſcenſus,ſed ſolùm his familiaris,quorum eſt in mente ternarius ( id eſt ) qui reiecto binario per aſſumtionem ternarii, ſunt ad vnitatis ſimplicitatem aſſumti.

## *De mundo elementari.* CAP. VIII.

TRibus potiſſimùm partibus cernitur elementaris mundus conſtare,Mineralibus, Vegetabilibus,& Animalibus. Præter hæc nihil in hoc mundo (quod ſub ſenſum cadat)eſt quod queamus inuenire. Quapropter à mineralibus, tanquam aliarum partium baſi, faciens exordium, veniam ad reliqua corpora materialia. Terra quidem baſis eſt & retinaculum, omnium,tam cœleſtium influxuum, quàm ſolidorum corporum.Circum eius centrum cœleſtes motus fiunt omnes.Ad eius centrum grauia quęq; feruntur, niſi ſoliditatis terræ beneficio retinerentur. Et ab eius centro leuia fugiunt omnia. Quod Hermes Triſmegiſtus in arcanorum ſecretiſſimo (quod ſmaragdinam tabulam nuncupant) ait: Terra nutrix,& paulò inferiùs, Aſcendit à terra in cœlum, & iterum deſcendit in terram: ſic recipit vim ſuperiorum & inferiorum. Ibidem vi-

demus ipſum inferiorũ vires, terræ potiſſimùm adſcripſiſſe. Mirabilium enim eſt productrix ex cœli ſemine, ſororiſque ſuæ menſtruo. Quod idem Hermes inquit, rei vnius pater eſt Sol. Luna verò mater, portauit ventus hanc rem in ventre ſuo (& rurſus quod prius) nutrix eius terra eſt.

## *De Mineralibus.* CAP. IX.

MIneralia ſunt, quæ in viſceribus terræ, mixtione huius & aquæ, ſecundùm earum diuerſam proportionem, in diuerſas formas ac ſpecies concreta reperiuntut. Horum tria ſunt genera, lapidum videlicet, metallorum, & mediorum mineralium. Et licet hæc omnia generentur ex mixtione proportionali terrę, & aquæ, nihilominus ex quatuor elementis conſtant, ſicut vegetabilia & animalia: nam ſuprà dictum eſt capitulo quinto, quòd omnis liquor & ſulphur aërem ſecum habent occultum. Lapides ex multa terra & aqua pauca, ſecundùm magis aut minus à natura conflati ſunt, ideo non fuſibiles, ſed potiùs igne friabiles. Quòd nonnulli cæteris lucidiores euadant, ac diaphani, fit propter maiorem terræ depurationem, & clarificationem à natura factas: cùm videamus & arte cineres aridiſſimos in vitrum tranſire diaphanum, nec poteſt ars æmulatione curioſiſſima, minimum opus, quod naturæ fuerit facilimum, imitari. Metalla

talla quidem, econtra conflantur ex aqua multa in argentum viuum transmutata, & pauca terra in sulphur à natura conuersa: quo fit vt liquabilia sint potiùs quàm friabilia. Diuturna decoctione densatur aqua, modò non exhalet, è diuerso terra claresçit: nam occulta manifestis, & hæc illis, semper & in omnibus contraria sunt. Principia metallica triplici statu differunt, aut sunt remotissima, veluti terræ cum aqua mixtura, vel remota, prout vitriolum, aut sunt immediata, sicut argentum viuum & sulphur. Ex his duobus posterioribus, secundùm puritatem amborum, vel impuritatem alterius, aut vtriusque, nobile vel minùs, aut prorsus ignobile, natura calore subterraneo, vix annorū milibus generare dicitur metallum. Eo fit, vt quantò diuturniori sub obedientia cœlestium influxuum mineralia fuerint, tantò firmiori validioriq́ue potentia, virtutes acquisiisse cœlestes efficacissimas, inter ea quæ corporeas vires habent restaurare conseruareq́ue, non immeritò putentur, & eò nobiliùs, quò metallica forma sua materia minùs fuerit oppressa. Mettallorum forma generalis, æqualis est omnibus, at propter materiæ variam disposition̄em (vt suprà capitulo secundo dictum est) in varias prorumpit forma specificas. Quòd si vniuersalis forma, iungatur materiæ coæquata proportione partium disposi-tæ, in speciem omnium nobilissimam, & in

aurũ prorumpat oportet: nam locus iam æquatas partes continet: natura quoque proportionatum calorem adhibere nouit, ut inſtrumentum. Aurum itaque ſuo calido non eſt frigidius, nec frigido calidius, pariter humido ſuo non ſiccius, nec humidius arido, ſed vndique temperatum, vnitum, ac tanta perfectione compactum à natura, quòd nulli penitus igni cedere putetur artificiali: Naturali tamẽ, aiunt philoſophi, primam in ſui materiam reſolui poſſe: in quam niſi reſoluatur, impoſſibile fuerit ipſum in humano ſtomacho poſſe digeri, quod igne vehementiſſimo, reliqua metalla vincente, lapidesque conſumente, non vri dicitur, ſed purius ac perfectius reddi: donec ad ſummum ſuę perfectionis gradum deuenerit, tunc in igne, tanquam Salamandram, iubilare tradunt philoſophi. Non de monetario, ſed per antimonium ita depurato, quòd nihil alterius in eo mixti metalli relinquatur, ipſos intelligere puto. Quapropter fruſtra laborare videntur omnes, qui conantur aurum potabile facere (quod ait Marſilius Ficinus) niſi priùs aurum in primam ſui materiam reſoluerint (hoc eſt) in argentum viuum & ſulphur: quæ materia metallorum omnium eſt prima, proxima, & immediata. Hæc ſit igitur auri concluſio, quòd à ſua perfectione, ſimilitudineque Solis cœleſtis, terreſtris Solis nomẽ ſortitum ſit à philoſophis: qui etiam terreſtrem Lunam argentum purum

(quod

(quod cupellatum vocant aurifabri) nominarunt: colore, conſtantia, pondereq́; ſolùm, ab auri perfectione diminutam. Calore namque deficiente, deficit in ea pororum compactio, reſtrictioque, quibus metalla pondus acquirunt, vt argentum viuum. Omne decoctum naturaliter, primò nigrum, ſecundò quidem ad album, tertiò rubeum efficitur: qui poſtremus color eſt exceſſiuus, & à perfectione ſuperabundans. Vt omne corpus naturale perfectum ſit, requiritur ne in aliquo deficiat, vel perfectionis limites excedat: quæ perfectio medium tenet in omnibus. Medium autem inter nigrum & album, eſt pallidum, ſicut inter album & rubeum perfectum maius, eſt citrinum. Hinc eſt quòd aurum inter album & rubeum tenens medium, citrinum colorem habeat, non excedens nec diminutum. Nihil aliud eſt citrinum, quàm determinata proportio, mediaque rubei coloris & albi. Hinc fit etiam quòd omnes, quotquot putant argentum, & reliqua diminuta metalla vulgaria, in aurum auro tranſmutari poſſe, decipi contingit, nec non illos quibus libenter audiuntur. Nam aurum nõ plus coloris habet, quàm indiget ad colorandum ſuum argentum viuum. Experientia doctos docuit viros, medicinam ex auro fieri poſſe, quæ poſſit argentum purum, vel aliud ritè depuratum aliquod metallum, in colorem auri tingere perfectũ: verùm non plus au-

ri factum eſt hac arte, quàm fuit illud auri pondus, ex quo talis medicina tracta eſt. Fatuum ergo videtur conſilium eorum, qui ſuadent in aliquo quærendum eſſe loco id, quod in eo non continetur naturaliter: vt ſuperabundantem in auro colorem, & pondus ſuperfluum, quæ tribuat aliis: quæ etiamſi haberet, non eſſet aurum, ſed coloratius auro quid, & non metallum perfectum. Quòd ſi in auro non ſit hæc tranſmutationis perfectio, rationibus iam allegatis, nec in aliquo alio minerali: nam quod in perfecto non fuerit perfectionis, in imperfectiore quęrendum nõ eſt. Nec in vegetabilibus erit, minus etiam in animalibus, quæ natura magis a auro diſtant, & in auri generatione minùs conueniunt, quàm aurum ipſum: natura quoque ſibi ſimili natura gaudet, ac tranſmutatur in ipſa facilius, quàm in aliena. Sed cùm in tranſmutatione corporis imperfecti, requiratur ſumma perfectio, ſiue medicina perfecta, quæ propinquiùs etiam elici nõ poteſt, quàm à ſummè perfecto, quod ſuæ ſit naturæ: nam potiora, propinquioraq; ſemper & in omnibus eligenda ſunt, propter faciliorem tranſitum: cùm etiam omnis perfectio corporũ à temperamento ſuarum in compoſitione partium dependeat, temperatius auro nihil erit, aut ad rem iſtam propinquius. Quapropter ab auro, vel à nullo petenda venit hæc tranſmutationis perfectio. Procul dubio philoſophi viri nullius auri

foſſilis,

fossilis,aut vulgaris,auidi vel sitibundi,transmutationes describunt non vulgarium fossiliúmve metallorum, sed suorum,& philosophicorũ: Hi suo seculo consulentes, & posteritati,summis laboribus conati sunt, ex consideratione temperamenti fossilis auri, temperamentum auri factitii reperire: quod non solùm ex vno corpore, sed ex diuersis,tam vegetabilibus, quàm mineralibus, & animalibus extraxerunt. Est itaq; philosophorum aurum, quædam arte compilata medicina temperata, quæ tanquam forma separata à suo corpore,tantam ad subtilitatem redacta est,vt in quoduis sibi obiectum, instar formæ cœlestis,in præparatam à natura sibi materiam operetur. Forma quidem vniuersalis,quę semel specificam induit,cùm ab indiuiduo separatur, vim retinet actiuam,quam rursus in alienum corpus imprimere potest,vnitatis virtute, cuius vires iam induit, & tunc omnia secũ vnum facit: licet etiam hæc medicina tracta sit ab indiuiduo nõ temperato. Nam arte, quæuis & quorumuis elementa, possunt ad temperamentũ in vnum reduci temperatum. Nunc de reliquis inferioribus metallis dicendum est, vtpote Stanno, quod Ioui calido & humido: Cupro vel aëre, quod Veneri frigidę,licet parũ calidę,humidæq;: Plumbo,quod Saturno frigido & sicco: Ferro, quod Marti calido & sicco, propter dictarum qualitatum similitudinem dedicauerunt philosophi. Quæ pariter

quatuor complexionibus, non humoribus, in corpore non phyſico medicorũ, ſed elementato, non inconcinnè quadrare videntur, ob qualitates dictas. Quoties igitur Cholericus, Melancholicus, Phlegmaticus, vel Sanguineus ad temperiem per medicinam temperatiſſimam reduci potuerunt, exiſtimatum eſt à Philoſophis, Cuprum, Ferrum, Stannum aut Plumbum in aurum tranſmutata fuiſſe. Sub metallis itaque vulgaribus occultarunt ſapientes, medicinas, phyſicas & philoſophias: quas etiam ex metallis vulgaribus præparauerũt in tranſmutationem ſuorum, hoc eſt, philoſophicorum metallorum: vt ſub æquiuocatione, tantus medicinæ theſaurus ignarum lateret vulgus. Interim tamen vix docti medici, qui philoſophiæ profeſſionem faciebant non exiguam, id potuerunt intelligere: donec Aureolus Theophraſtus Paracelſus, Doctor vtriuſque medicinæ, vir Heluetius & nobilis, diuino magis quàm humano ingenio, tum longinquis peregrinationib⁹, doctorum etiam vbique locorum conſortio, rem omnem detexiſſet: eamque libris innumeris in gratiam doctorum virorum, & vtilitatem communem propalaſſet, Germanicè potiſſimùm, vt & illis copiam faceret, qui latini ſermonis expertes erant. Huius ego liberalitatem ſequutus præceptoris, apertiùs fortaſſis de hac re tractare volui. cuperẽ enim alios per me tantum proficere quantum ego per ipſum.

ipſum. Nunc reſtat, vt de mediis mineralibus, ſuis correſpondentibus extremis, loquar, veluti ſunt omnes marchaſitæ. Reperitur aurea marchaſita, argentea, ſtannea, plumbeaque (hanc antimonium vel Stibium puto) quas vidi, reliqua mihi adhuc ignotæ ſunt, vt cuprea, ferreaq;. Sunt & magneſia, tucia, auripigmentum, arſenicum, ſalia multa, Alumina, Sulphura, & reliqua id genus ſimilia, quæ magis in tranſmutationem phyſicam faciunt, quàm ad vulgarem illam metamorphoſin philoſophis ſi non ignotam, ſaltē neglectā. Idcirco media dicūtur mineralia, quòd non omnino metallum, nec lapidem omni ex parte referant, ſed cum his affinitatis plurimúm habent. De altero extremorum, nempe lapide, ſpecialiter tractare ſuperuacaneum foret, cùm de hoc apud Plinium, Albertum magnum, ac reliquos probatiſſimos authores abundè ſatis tractatum ſit. Hoc ſolum decet pro inſtituto me dicere, quid inter metallum, & lapidem ſit differentiæ: hic ſcilicet, nec liqueſcit, nec malleo ductilis exiſtit, illud verò ſub malleo tractabile eſt, & igne liquabile. Media tamen liqueſcunt, & nō producuntur, ſed diſſiliunt in fragmenta, quo lapidem referunt, liqueſcentia verò metallum.

## *De vegetabilibus.* CAP. X.

VEgetabilia dicuntur, quæ per fixam radicem á terra nutrimentum ſumunt. Hæc ſunt triplicia, nempe herbalia, quæ vegetabilia ſunt, vl-

tra annum vel pauló plus in terra nõn aſſeruata, ſed arefactis foliis,ac ſtipitibus , per ſeminis in terram demiſſi putrefactionem, á natura propagantur. Arboralia vegetabilia ſunt maxima, quæ per ſolidas radices in truncos ramoſque ſolidos aſſurgunt , & in plurimos annos aſſeruantur. Plantalia vegetabilia ſunt inter hæc media , herbis maiora , ſed arboribus valde minora , formam tamen vtriuſque referentia: diutiùs herbis vireſcunt,& aſſeruantur,citiùs quidem arboribus intereunt. Sed quia hæc Philoſophis omnibus quantumuis mediocribus nota ſunt, obiter pertranſeunda putaui : hoc ſolo notato, quòd prout animantibus alimentum, non ſecus à ſua corrumpente materia per artem repurgata, medicamentum exhibent. Nam impeditur potentia formæ , per materiam illius actionem cohibentem. Meliùs erit hanc extra ſtomachum ſeparare,quàm in ægrotãtis ſtomacho,iam ſatis ad hanc ſeparationem faciendam debili. Verùm ſi alimẽto debeant eſſe,cum corpore ſunt exhibenda: nam partes corporis generaliores , vtpote liquor,ſulphur,& balſamum naturalia, quodlibet ſuo ſimili nutriri debet. Exceſſus enim & defectus intemperiem cauſantes,oportet ſuo contrario , temperato ſcilicet , ad æqualitatem reduci: quod medico diligentiſſimé conſiderandum eſt, tam in præparandis vegetalibus medicamentis, quàm ex animantium partibus tractis.

*De ani.*

## *De animalibus.* CAP. XI.

ANimantia ſunt corpora, quæ per ſe mota naturaliter, ore nutrimentum ſumunt. Chymici non fruſtrà motum in naturalibus triplicem conſiderant, Corrumpentem, generantem, & animantem. Philoſophi motum aut per ſé, vel per accidens dicunt fieri. Qui per ſe fit, eſt naturalis, cauſans, vt primi mobilis, & Zodiaci, vel cauſatus, vt rerum ad generationem & curruptionem. Qui per accidens ſiue localiter fit motus, eſt rectilineus vel curuilineus. Rectilineus, eſt perpendicularis, obliquus, vel tranſuerſus. Perpendicularis, ſurſum, vel deorſum latus. Curuilineus, circularis eſt, vel flexus. Circularis, voluens, vel rotatus. Non eſt inanis motuum in hac arte cognitio, ſed quia hæc ad Philophum pertinent, ac Geometram, qualem oportet chymiſtam fore, de his hactenus dictum ſit. Cum vegetabilibus hoc habent animalia commune, quòd alimentum in vegetationem vtraque ſumant, hæc ore, radice quidem illa, quæ ſenſibus rurſus inferiora ſunt animantibus. Animantium tria ſunt genera, reptilium in terra, volatilium in aëre, & natatilium ſub aquis. Brutorum animalium duplex eſt animæ motus; vegetatiuus, & ſenſitiuus. Hominis animæ triplex motus habetur, nam ad præcedentes duos accedit motus animæ rationalis, qui perpetuus eſt.

# LIBER SECVNDVS.

## *De Chymistica praxi* CAP. I.

POstquam theoricè de chymistica tractatum est arte, quantū fas est, restat nunc experimẽto probare, vel sensu, quod imaginatione siue intellectu chymista potest assequi. Praxis chymistarum, est eorum quæ Philosophus certis notisque philosophiæ rationibus, & intellectu, circa rerum naturalium latentes formas fuit assequutus, ex occultis manifesta demonstratio sensualiter facta. Solis enim authorum scriptis ita standum esse non existimo, quin si quid potioris experimentum docuerit, anteponendum non sit opinionibus eorum, quos sæpenumerò de rebus penitus non introspectis asserere iudicareque contingit ea, quæ sibimet minimè constant. Artificium chymisticum circa tria potissimùm versatur, vtpote locum, instrumentum, & operationem. Locus duplex est, fornacum scilicet, ac vasorum continentium ipsam materiam. Instrumentum etiam duplum, vt ignis corrumpens, & ignis generans. Pariter & operatio dupla, Solutio & congelatio.

## *De loco Chymistico.* CAP. II.

FOrnax ipsa, vel vas materiam continens, chymistis habetur proprius locus. Fornaces diuersis artificibus variæ sunt, & vasa pro cuiusuis ar-

arbritrio diuerſimodè formata. Verùm ſecundùm tres motus perpendiculares, nempe ſurſum, deorſum,& lateraliter latum, triplicem & vnicam priori loco ponemus fornacem nunquam antehac viſam: qua tres operationcs diuerſæ fieri poſſunt, vnico tantùm igne corrumpente. ſ. deinceps alteram (quam accidiæ vocarunt) ponemus: hac etiam operationes quatuor abſoluuntur,igne pariter uno generante.

## *De fornacis triplicis ſtructura.* CAP. I'I'I.

OPeræprecium fuerit, huiuſmodi fornacis egregiæ ſtructuram demonſtrare, priuſquam ad operationes ventum ſit. Erigantur muri duo, lateribus conſtructi iacentibus, abinuicem interuallo cubitali diſtantes, ſeſquipedalis altitudinis & eiuſdem latitudinis: quales litera B. notatos videre licet. Ab vno ad alterum murum, quatuor ferramenta protendantur per tranſuerſum, quibus lateres primùm ſolarium conficientes ſuſtentati ſint, quod R. litera deſignatum eſt. In medio dicti ſolarii foramen relinquatur apertum,& rotundum,latitudine quatuor digitorum,per quod inferiùs promineat collum inuerſæ cucurbitę terreæ ſine fundo,baſim in collo foratam habentis,&c.ſignatæ per literam E.quæ poſſit obſtrui cooperculo acuminato,literaF.notato. Super huiuſmodi baſim,tres muri vel oppoſiti duo lateribus lateraliter erectis, vel iacen-

tibus extruendi ſunt, altitudine cubitali, ſe mutuò contingentes aut reſpicientes ad angulos rectos. Super hos muros alia ferramenta ſeriatim collocanda ſunt, vt ab vno ad aliud latitudo digitalis ſit intermedia, hæc vicem ſupplebunt craticulæ fornaci mediæ, prout litera notatur V. Iam fornacem habemus extructam deſcenſoriam, & vas etiam dicetur deſcenſorium. Super hanc craticulam alios tres muros prioribus ſimiles oportet erigere, hoc ſolo mutato, quòd poſtquam muri pro media parte fuerint erecti, curuum ferramentum oppoſitis muris inſerendum eſt, quod cucurbitam terream ſupra craticulam teneat ſuſpenſam, & in muro medio foramen, per quod collum cucurbitæ promineat, relinquendum, quod charactere Z. notatum videtur. Poſtquam cucurbita fuerit in fornace collocata, latus quod apertum manſerat ad imponendum cucurbitam, obſtrui poterit vno atque altero foramine relicto, vel pluribus, per quæ carbones rude ferrea moueri poſſint. Super hos muros iterum quatuor alia ferramenta locanda ſunt, ſuper quæ lateres baſim cõficiant in medio foratam ore rotundo, per quod carbones immitti poſſint, & deinceps debet illud foramen obſtrui latere tamen amouibili: dicta baſis per X. literam nobis deſignatur, & foramen per I. literam. Iterum ſuper eam baſim, murum vnius lateris latitudine ſurgentem ædificato, relicto tamen

men ostiolo, H. litera signato, per quod carbones in dictum foramen immittantur. Super hunc murum, aliam basim perforatam priori similem omnino construere decet. Sic fornax reuerberatoria perficitur, A. litera & arcu notata. Postremò, super hanc basim, iterum quatuor muros altitudine cubitali surgentes extruemus, relicto tamen ostiolo, per quod later à supremæ basis foramine possit auferri, pariter & admoueri cum libuerit. Super hos muros in orificio fornacis, argilla fingemus rotundum labium, quod vas terreum vel cupreum excipiat (hoc cupellam vocant nonnolli) per K, literam signatum, & quatuor conis, quatuor digito foramina facienda sunt, quæ possint obstrui reserariqúe: sic habetur fornax ascensoria litera B, & arcu notata, per quam temperabimus nobis calores necessarios.




Dual-

## *De alterius furni ſtructura, quem acedia vocant.* CAP. IIII.

QVatuor lateres lateraliter erigendi ſunt in quadrum, vt ſe mutuò non contingant, ad interuallum quatuor digitorum, ſed ab vno latere duo fragmenta ſufficiant ad angulos ita poſita, quòd inter illa vacuus ſit locus hoſtiolo, per quod cineres eximi queant. Super hoc ſtructum, bacillos ferreos collocabimus in modum craticulæ, ſic primam concamerationem extruxerimus, per A, notatam. Super hanc craticulam ſimiles ſtruemus muros, ſed altitudine duplices, hoc eſt, duobus lapidibus altos, relicto hoſtiolo, per quod carbones ferro commoueri poſſint: quod litera B, notatum eſt. Inferioris cameræ quatuor anguli claudendi ſunt, ſuperioris verò concamerationis relinquendi ſunt aperti, per quæ foramina calor furnos laterales ſubintrare valeat. Hoſtiola quatuor hæc ferreæ claudent ſpatulæ, literis A A. ſignatæ, quæ ſubleuari poſſint ac deprimi. Super hunc futnum, turriculam terream, vel cupream potius, latiorem inferius quám ſuperius, litera C, notatam, erigemus, quæ cooperculo terreo poſſit occludi litera D, ſignato, poſtquam carbonibus ad ſummum fuerit impleta turris. In ſuperiorem concamerationem prunas aliquot accenſas ponemus, qui-

bus & recentes accendantur carbones, ſic fiet vt ſucceſſiuè tota turricula per integrum diem vacuetur, & interim tamen ignem nobis continuum ſubminiſtret. Cùm viderimus carbones deficere, turrim iterum replebimus vt prius: Hoc artificio poterit ignis extrui continuus ad aliquot horas. Ad quatuor dicti furni latera, quatuor alii furni coaptentur, E, H, G, & F, deſignati, qui, duabus ſinguli conchis fictilibus inuerſis, & ad labia ſe mutuò contingentibus, ſtructi ſint, ita quòd ſuperiorum concharum tres, fundam habeant perforatum rotundis foraminibus ſex aut ſeptem digitos per diametrum latis. Quarti furni concha ſuperior F, notata, fundum exciſſum omnino habeat, vt balneum maris cum cucurbita per K, & L, ſignata literas, intret. Conchæ ſuperiores omnes foraminibus, per quæ cicer intrare valeat, perforentur, vt A, B, notatum eſt literis. Concharum inferiorum quælibet, habeat à latere prope fundum hoſtiolum exciſſum, quatuor digitorum latitudine, ſed altitudine ſex aut ſeptem. Quatuor hæc hoſtiola, quatuor inferioris fornacis mediæ foraminibus reſpondeant ex diametro, ita quòd ſpatulæ ferreæ ſupradictæ poſſint inter hæc inſeri, liberè tamen, vt ſubleuari queant ac demitti, cùm claudere vel aperire fuerit opus.

pus, ad ignem temperandum. Nunc furnum habemus completum, quem acediæ ſolemus appellare, tum quia tardus eſt in operando, propter lentum ignem, vel quòd fortaſſis pigris arrideat ea de cauſa, quòd poſtquam turricula C, repleta fuerit carbonibus, non eſt curandus ignis per aliquot horas: quòd pro turris altitudine metiri poteſt.




De va-

## *De vasis.* CAP. V.

VAsa, non instrumenta chymistica, sed materię substantiæque locum alterum, post fornaces, existimo: non secus ac natura terræ globo, & cauernis loco vasorum fruitur in decoctione vel generatione mineralium: pariter & in animalibus matrice, vasis instar, & vtero vice fornacis. Sunt enim vasa chymistarum, partim ex vitro, vel figulorum compactissima terra, partim ex cupro vel aliis purioribus confecta metallis quorum formam suprà videre licet, vbi fornaces delineauimus.

## *De Chymistarum instrumento.* CAP. VI.

CHymistarum, vt etiam naturæ, proprium instrumentum est ignis, qui penes artifices tripliciter consideratur. Est enim ignis, externus aut internus. Externus ignis est, aut violentus, aut per tres gradus temperatus, vel naturali similis remississimus, qualem sibi natura in generatione rerum vsurpat. Internus ignis, cuilibet substantiæ proprius est, & naturaliter insitus, cuius etiam chymista rationem habeat oportet. Vtuntur igne violento chymistæ, vel in calcinandum, vel sicciora sublimandum, aut metalla liquandum. Igne temperato per gradus inter destillandum, tam ascensoriè, quàm descensoriè. Naturali simili, dum putrefaciunt, digerunt, congelant, vel circulatoriè fixant. Operationes istæ sequenti capitulo definiuntur.

## *De operatione.* CAP. VII.

OPeratio dicitur manuum & instrumentorum, ad rem chymicam exequendam, applicatio. Chymisticum opus duplum est, vtpote, Solutio, & congelatio. Solutio corporis est calcinatio. Congelatio, spiritus est in vaporem acti condensatio. Solutio variis modis, pro ipsius artificis arbitrio, solet fieri, per se, vel cum sibi socia specie, congelatione scilicet. Per se fit, quando corpus aliquod in vas fictile reconditum, per sui spiritus exhalationem non retentam, friatur in calcem aridissimam. Solet etiam hæc fieri iacente in olla testacea, semper agitata materia, donec siccetur in pnluerem. Solutio quidem & congelatio simul fiunt, cum aliquod corpus in terrea cucurbita fictili positum, aut vitrea, siccatur, vapore per galeam rostratam vitream sic retento, quòd spiritus in aërem solutus, ac iterum in aqueũ corpus congelatus, submisso vase recipiatur etiam vitreo. Hac ratione soluitur corpus terreum in calcem, & aqueum in spiritum aëreum, qui rursus in aqueum corpus cõgelatur, vnica tantùm operatione, quam vulgus destillationem vocat: Philosophus propriè separationem dicit. Potest etiam fieri solutio simul unà cum congelatione, per clausum vas reuerberatoriũ, duobus vasis fictilibus ingenti luto cõglutinatis, ne respirare valeat materia: per fornacem reuerberatoriam id sublimationem appellare

lare ſolent. Eſt & alia ſolutionis ſpecies per ſe facta quam putrefactionem vocant, quando corpus ſiccum ſua rurſus aſperſum aqua plurima, duplice cucurbita clauditur, & in accdiæ furno ponitur. Quòd ſi corpus aqua pauca fuerit imbutum, vel ſaltem pauciore, per idem artificium congelabitur: humidum vincente ſicco, tunc dicetur congelatio per ſe facta. In balneo Mariæ vel maris fit ſolutio, quæ putrefactio dici poteſt, in vaſe duplice ſuper vaporem ſuſpenſo, vel in aqua tantùm ad medietatem eius merſo, circumquaque tamen in vapore clauſo. Poſtrema ſolutionis per ſe factæ ſpecies, & pulcherrima, fit, dum humidum ſæpius deſtillatione rectificatū, & rarefactum, in duplici vaſe vitreo, vel pellicano reconditum, ſuprema parte vaſis extra furnū eminente, lento quidem igne, tamdiu ſollicitatur, donec ampliùs non aſcendat aliquis vapor, ſed in fundo maneat fixus, quam operationem ſolent circulationem, ſpirituſque fixationem appellare. Rectificatio nihil aliud eſt (vt ſupra patet) quám deſtillationum iteratio, vitreis organis facta. Sunt etiam quæ nullo fiunt igne ſolutiones, vt calcinatorum puluerum, ſalium, & aliorum ſuper marmor vel tabulam vitream in penario plurimùm humido, vel in manica Hippocratis linea poſitorum ſubiecto vaſe liquorem excipiente.

# LIBER TERTIVS.

## *De Chymistico operatorio.* CAP. I.

Præcedenti tractatu definiuimus operationes chymistarum, hoc autem illas deducemus in actum: in quantum venerint in vsum rei medicæ. Non est enim institutum nostrum, singulatim ea tractare quæ ab aliis olim scripta sunt: potiùs conabimur quasdam generales operandi vias proponere studiosis, quibus omnes præparationes physicarum medicinarum facilimè possint apprehendere. Quapropter vsum triplicis fornacis demonstrantes, docebimus tres mundi partes, vtpote vegetabilem, mineralem, & animalem, destillare, nec non in medicinam physicam præparare. Pro parte minerali sumemus vitriolum Romanum, quod in oleum præparabimus, in fornace media reuerberatoria, & eodem igne destillabitur vinum in quintam essentiam, suprema fornace, infima descensoria, solidiores animalium partes in oleum & aquam vertentur. Has tres operationes quicunque ritè nouerit, ex demonstratione quam facimus, imitari: nihil est quod veniat in eius mentem, de quo despondeat animum se præparare non posse physica ratione, non empirica. Hoc dico, vt videatur ab omnibus quænam sit differentia inter physicas præparationes & empiricas. Decet enim veré physicum hominem sua præparare indiuidua (phar-

(pharmacopolis Simplicia dicta) ſine cuiuſuis alterius rei mixtura vel additione quæ præparandæ rei naturam immutet: Demum poterit huiuſmodi ſuccos vel pulueres, ita per ſe priùs repurgatos, in medicinam, ſi velit, miſcere vel temperare: ſed quantò ſimplicior medicina fuerit, tantò vehementior. Nec eſt quod nos terreat, aliquos medicos olim ſcripſiſſe, medicinas ſimplices interimere, cum ipſi aliter vtantur illo vocabulo (ſimplex) quàm chymiſtæ. Dicunt medici Reubararum fore ſimplex, chymici autem aſſerunt eſſe compoſitum, quod etiam arte docent & experimento, nõ ſolis verbis. Empirici verò dum phyſicos imitari conantur abſq; notitia phyſices, non poſſunt aſſequi plærunque quod optant: quapropter cogũtur corpora miſcere corporibus ante præparationem, & illa pręparare ſimul. Non tamen inficias ibo, chymiſtas corpora phyſico modo miſcere Spiritibus, vt ſimilia ſimilibus alliciant, quo facto, corpora tanquã inepta prorſus ad medicinam, reiiciunt. Excellentius quid faciũt, ſpiritus hac ratione mixtos ab inuicem ſubtiliſſima via ſeparant. Nunc ad rem deueniamus, & vitriolum in oleũ ita vertamus, vt medicamentũ ſit optimum ac ſimpliciſſimum.

## *De vitrioli præparatione in oleum ſimplex.* CAP. II.

VItrioli Romani vel Hungarici pondera ſumito terna, vel quaterna, quæ in olla fictili, for-

tem ignem ſuſtinente, recondita, prunis ardentibus crementur, donec quicquid humoris continuerit, exhalet. Sed potiùs deſtillabis omnẽ humorem, ad feruandũ ſpiritum, vt infrà dicetur. Cùm videris duram maſſam in fundo vaſis, prunas accenſas in & circum ollam iniicias: hoc modo calcinabis illud in maſſam valde rubicũdam. Tandem eximatur ab igne, frangatur olla, maſſaq; contundatur in puluerem, quem in cucurbitam longi colli fictilem ea terra compactã, qua ſolent aurifabrorũ vrceoli fuſorii cõfici, ponito, duabus tertiis vaſis vacuis remanentibus. Ollam priùs tamen luto munitam tranſuerſo locabis ſitu, prout in media fornace reuerberatoria delineatũ videtur, & litera G, notatur. Collo prominenti coaptetur vas vitreũ O, litera deſignatum (quod retortam vocant) in aqua frigida ſitum & annulo plumbeo merſum, ne vacuũ ſubleuetur aqua. Commiſſuræ luto forti muniendę ſunt, ne reſpirent. Deinceps excitandus eſt ignis ſub cucurbita, ſenſim etiam augendus per gradus quatuor, quorũ quilibet ſit horarum 2. donec prunis ardentibus omnino ſit ſepulta. Tamdiu continuandus eſt ignis ille violentus, donec retorta, quæ prius repleta ſpiritibus obſcura fuerat, nunc ſenſim clareſcat, vt intus videatur quid cõtineat. Hoc percepto, ceſſandum eſt, & igne per ſe conſumto, ſeparetur vas recipiens, & quicquid olei continuerit eximatur, vitro ſolido reconditum,

opti-

optimaque cera factitia clauſum ſeruetur ad vſum. Huiuſmodi ceram conficiendi modum habebis à Philippo Vlſtadio, libro quem Cœlũ Philoſophorum inſcripſit. Notandum eſt, ne cucurbitę terreę lędantur igne, vel fiſſurã quantumuis exiguã contrahant, aliâs oleum perdetur ac opera, quapropter curandum eſt, eas ex optima terra confici. Exiccandum eſt etiam calchantum, aut vitriolum peroptimè priuſquam deſtilletur, aliter oleum erit multo phlegmate perfuſum: hoc tamen balneo Mariæ poterit auferri per deſtillationem, ſic remanebit oleum purum in fundo vaſis, aqua ſurſum aſcendente. Hoc oleum paucis adhuc eſt notum, quia veteres illud præparandi modum celauerunt multis ægnimatibus, & tanquam arcanum ſecretiſſimum ſummo ſilentio deuouerunt. Summis laudibus vires, eius etiam ſupra vini quintã eſſentiam, extollunt, non ſecus ac iſtam, dicunt illud omnium tum corporum, tum ſpirituum, quibus adiunctum fuerit, vires ad ſe trahere. Hinc fit quod ab his, qui generalem eius potentiam ſunt experti, ſoleat in curam ad omnes morbos aſſumi: reſtricta quidem eius vniuerſalitate, per alicuius particularẽ formam, vt aquæ deſtillatæ, vel olei corporum, quæ ſcribunt medici morbis mederi poſſe. Verũ, ne quippiã ad huius excellentiſſimi medicaminis reuelationẽ omiſiſſe videar, aliquot eius vires enarrabo: poterit inde quiuis, qui rei medicinæ gna-

rus fuerit, alias eius excogitare virtutes. Cum aqua sampsuchi, buglossi, vel melissę capitis dolores, & vertiginem curat. Cum aqua rosacia febrim continuam. Cum aqua fumariæ, myrobalanis quoque conditis, malam scabiem. Cum aqua acori, vel fœniculi, restituit memoriam labilem. Cum aqua endiuiæ, renouat hominem alteratum. Cum vino maluatico, per octo dies adhibitum, obstructionibus prodest. Calculum pellit, & sanguinem purificat. Cum aqua plantaginis, fluxum restringit ventris. Cum aqua agrestæ, curat omnes morbos, post euacuatum corpus. Cum aqua vitæ, corpus purgat. Cum semine lactucæ, somnum excitat, vel cum semine papaueris. Cum aqua nymphęæ, rabiem & insaniam. Cum aqua absinthii, venenosos morsus. Cum aqua buglossi vel boraginis, melancholiam pellit. Cum aqua absinthii, sanat apostemata & hydropem. Cum aqua mentastri, saluiæ, vel hyssopi, paralysin curat. Cum aqua cydoniorum, vomitum restringit. Cum aqua rutæ agrestis, lethargiam. Cum aqua raphani, & tribuli marini, pellit calculum, & obstructos renes aperit. Cum aqua rutæ, colicam curat. Cum aqua fœniculi, omnem oculorum debilitatem corroborat. Cum aqua trifolii, diversos morbos internos. Cum aqua plantaginis vel bursæ pastoris, vomitum in phlegmatico restringit. Cum aqua saluię, spasmum sanat. Cum aqua adianti & hyssopi,

ſopi, catharrum, & tuſſim. Cum aqua baſiliconis, tremulos. Cum aqua plantaginis, morbum lateralem. Cum aqua capillorum veneris, pleureſin. Cum aqua menthæ, ſtomachi debilitatem. Cum tamarindis, lieni prodeſt. Si cum felle bouis illinatur, confert membris reſolutis: & generaliter omnibus morbis, dum illis adiungantur ea quæ morbum eiuſmodi pellunt. Doſis eius eſt, vt robuſtis octo guttæ, quatuor mediocribus, debilibus verò tres, adminiſtres cũ prædictis, imperando ſudorem, & quòd ad quatuor horas poſtea non edatur, nec bibatur, niſi debilitatis cauſa fiat.

## *De præparatione quintæ eſſentiæ vini.* CAP. III.

CVcurbitam cupream L. L. vino rubeo fortiſſimo, vel albo vſque ad tertiam vel mediam partem imbutam, galeaque ſua roſtrata cuprea coopertam, atque lutatam, tripodi ſuperimponas in fornacem aſcenſoriam. Roſtro galeæ ſerpentinam cum refrigerio K.K. coaptabis, vt in ſerpentinæ tubum galeæ tubus intret. Commiſſuram cura, ne reſpiret vini ſpiritus. Extremitati ſerpẽtinę vas applicabis vitreũ excipiens aquam. Eodẽ igne quo deſtillatur oleũ vitrioli, deſtillabitur in fornace ſuprema: hoc ſolo notato, quòd ſi calor æquo fuerit vehemẽtior, occludatur foramen ſub tripode fruſto lateritio: quod ſi adhuc ſit

calor vehemens, luto muniatur later occludens ad commiſſuras: ſi fortè iuſto ſit violẽtior ignis, ponatur curbita cuprea vinum continens in cupellam terream K. cineribus plenam: ſi leuiorem calorem velis, duas cupellas vnam in alteram ponito, leuiſſimum habebis ignem, cùm in fundo fornacis aſcenſoriæ cineres ad duos digitos latos poſueris: hac via tibi poteris calorem adminiſtrare pro arbitrio temperatum. Cùm vini bona pars in vas ſubmiſſum per ſerpentinam tranſierit, amoue, ſubiecto nouo recipiente vacuo: vbi iam parum acceperis aquæ, guſta num adhuc ardens ſit ſpiritus, ſin minùs, ſerpentinam à galea ſeparabis, & cucurbitam extrahes de fornace, galeam à corpore cucurbitæ ſemouendo: feces in cucurbita manentes euacuato, recensque vinum imponito. Demum cucurbitæ ſerpentinam vt prius applicato, refrigeratorium quoque recenti aqua frigida repleto, in omnibus & per omnia ſicut priùs facito, donec magnam copiam ardentis aquæ congregaueris: de qua nõ aliter facies, quàm de vino feciſti, deſtillando per ſerpentinam bis, & demum per organa vitrea ter, hoc modo. Poſtquam ardens aqua tota per cupreum vas tranſierit, illam in cucurbitam vitream L, cum galea ſua M, & in ſuo recipiente N, in cupellam terream, cineribus plenam K, ponito, deſtillatoque ter vel quater, ac toties, donec accenſa comburatur omnino, phlegmate nullo relicto. Aquam ardentem

tem eo modo rectificatam in pellicano, vel duplice vaſe, poteris in quintam eſſentiam conuertere circulando, prout oſtendetur cùm vſum acedioſi furni demonſtrabimus.

## *De oleorum deſtillatione per deſcenſum, ex animalium partibus, & ſolidioribus, vt lignis aliiſque.* CAP. IIII.

QVorumuis animalium oſſa, lignorum, vt guaiaci, iuniperi, & baccarum eius, hederæ, fraxini, reliquorum quoq; ſolidorum fragmenta ponas in cucurbitam terream inuerſam E, ſuo cooperculo F, etiam terreo clauſam, atque lutatam, cineribusq; ſepultam, vt non videatur: ſed cineres duobus digitis latis ſuperemineant. Subiecto vaſe D, liquorem excipias eodem igne fornacis mediæ. Quòd ſi minus vehemens calor ille fuerit, cinerũ plus addas ſuper cucurbitam, ſi minor ſit calor quàm deceat, detegatur olla, cineres amouendo rude ferrea. Ecce iam habes omnes deſtillationes, quæ hac in arte chymiſtica requirũtur, & vnica fornace tres diuerſas operationes, etiam vnico tantum igne perfeciſti. Quòd ſi velis, poteris quãlibet fornacẽ ſeorſim extruere, ſub eadem forma, quam in triplici fornace vides.

## *Vſus acedioſi furni.* CAP. V.

PRimo laterali furno E, quemcunque liquorem deſtillatum & rectificatum circulare poſſumus, & in quintam eſſentiam conuertere, vt

nunc de vini quinta dicetur essentia. Rectificatam aquam ardentem in duplici vase M, N, ad medietatem, vel tertiam partem pleno, recondc, tum vasorum priùs commissura lutata, cucurbitam hanc in balneo maris, vase cupreo s. aqua pleno, pones, & calore medii furni, permitte vapores toties ascendere descendereque, donec quiescant, & fixetur spiritus ille, nullisque vaporibus amplius galeam impleat, sed in fundo maneat mirum in modum clarus & odorus, omnem odoris suauitatem excedens.

Secundo furno laterali, destillari potest quicquid indiguerit igne lento, cucurbita vitrea K, cooperta sua galea L rostrata sigillataque, balneo Mariæ, vel cupella cuprea cineribus impleta T.

In tertio laterali furno G, poterimus putrefacere materiam aliquam, vt destillationi eparationique sit obedientior, cucurbita vitrea I, luto forti (quod sapientiæ dicunt) obstructa, super tria pinnacidia terrea sicca locata sic, vt fundum non attingat, sed tribus vel quatuor digitis latis ab eo sustentetur in altum.

Quarto laterali furno H, poterimus vel spiritus paucos in suam terram figere, vel congelare, vel terram paucam multo liquore soluere, phiala longi colli super pinnacidia terrea locata O, sicut prius de tertio dictum est furno. Hoc solo notato, quòd tertius furnus & quartus his operationibus assumpti, superius tegi debeant, & etiam

am hoſtiola V, X, exteriùs obſtrui, relicto foramine A B, paruo ſuperiùs à latere furni, vaſaque ſint omnino concluſa. Alterum nunc habes furnum, quo poterint operationes quatuor abſolui, per vnicum ignem continuum, & pro tuo arbitrio temperatum regiſtris, hoc eſt, ſpatulis ferreis A A, quibus obſtruuntur hoſtiola interiora, ſubleuando vel deprimendo, iam ad tertiam hoſtiolorum partem, nunc ad duas tertias, vltimò totum aperitur hoſtiolum: ſic habebis ignem in temperamento primi, ſecundi, tertiique graduum.

## *De quinta eſſentia viribus in genere.* CAP. VI.

MIrum eſt & incredibile vulgo, quòd vini ſpiritus à ſuo corpore tractus, & ſeparatus omnino, per continuũ circulationis motum, poteſtatẽ habeat extrahendi quoſuis alios ſpiritus à ſuis corporibus, tam vegetabilibus, quàm mineralibus ac animalib⁹, per ſolam infuſionem. Verùm Philoſophi chymiſtæ nihil verius, & experimento magis comprobatũ habent, quám quód actiua ſeparata à ſuis paſſiuis, agunt in quoduis compoſitum, & illud per ſpiritus agentis acuitatem ſoluunt, ab eoque ſpiritum ſegregant per ſymboliſationem: quoniam ſimilia ſimilibus attrahuntur nõ impeditis, & ſpiritus appetit natura propria liberari á vinculis corporeis, ac ad ſuũ originem redire, vel ſibi ſimili copulari. Quapro-

pter mirandum non eſt, ſi quinta vini virtus & eſſentia prima, rerum omnium infuſarum in ea, vires attrahat, & ab elementis diſgreget, ſolutione vinculi naturalis, ſpiritibus per appetitum & actionem paſſiua ſuperantibus. Quod igitur ſuperiùs de chalcanti ſpiritu dictum eſt, hîc etiam conuenire peroptimè videtur. Quid igitur aliud medico reſtat? præterquam ſimplicium (vt dicunt) naturam conſiderare, pariter & mineralium ac animalium vires & poteſtates, & eas á ſuis corporibus ſeparare, patientibùſque pro morbi ratione cuiuſuis adminiſtrare. Non eſt quòd hîc medicinam doceam, ſed chymiſticam artem, eos qui melioribus delectantur artibus, quám de medicamentorum præparationibus à nonnullis traditæ ſunt.

## *De metallorum deſtillatione ſimplici.*

### CAP. VII.

OMnes ferè Chymiſtæ docent metalla deſtillare, nonnulli cum aceto ſæpiùs deſtillato, vel acuto lixiuio: plærique cum aquis vel ſuccis ex acuentibus tractis. Verùm ego nunc modum oſtendam, quæuis deſtillandi metalla ſine mixtione, ſed per ſe, quod à nullo huc vſque traditum fuiſſe puto, vel ſaltem ſi fuerit, me nuſquam legiſſe memini. Omne quod igne conſumitur metallum, euaporatione deſtillabitur, ſi

per

per ſe poſitum fuerit in bocia, vel cucurbita terrea, galea roſtrata, lutoque forti concluſa, per ignem liquefactionis, modò longiſſimo tempore teneatur in eadem liquatione: vapor omnis per galeam retentus congelabitur in ea, hinc demittetur in vas ſubiectum humorem recipiens, corpore metalli friato. Quod campanarum, & tormentorum bellicorum fuſoribus euenire ſolet, nobis teſtatur metallum euaporatione conſumi: nam poſtquam liquefactum eſt, ſi longam traxerint moram priuſquam affundatur, quandoque pondere diminuetur, vt non ſufficiat operi medio, quod priùs tamen ſuperabundarat, ſi mox fuiſſet effuſum. Non eſt aſpernanda metallorum hæc deſtillandi ratio, ſed diligentiſſimè notanda, quia ad aliud melius opus vſui poteſt aliquando venire, ſi ſapis.

## *De eorum deſtillatione quæ ſucco plurimùm abundant.* CAP. VIII.

SVperiùs diximus quî debeant arida, minúſque ſuccoſa per deſcenſum deſtillari; nunc de his quæ ſucci plena ſunt diſſeremus. Hæc enim contrario modo (quia faciliùs aliis attolluntur) per aſcenſum deſtillanda ſunt, organis vitreis, vel ſaltem terreis intus vitreatis, & non cupreis vel plumbeis, niſi poſtea vitreis rectificētur ſæpiùs, vt de vino deſtillato ſuprà dictũ eſt. Quicunq;

liquores metallicis vaſis deſtillati ſunt, noxam ex metallo contrahunt, tantò maiorem quantò metallum fuerit minus perfectum. Loquimur de his liquoribus, quæ intra corpus adminiſtrari debent ægris. Non eſt quòd cauillator obtrudat, nos nunc laudare, nunc improbare metalla. Reprobamus. n. venenum exiſtēs in imperfectione metalli, ſed balſamum quo metallū diutiſſimè conſeruatur illęſum ab interno & externo veneno, cōprobamus. Quid ſi malignis aliud maſticatu durius adferam? vtpote balſamo veneni venenum pelli, non veneno, quia betæ ſunt labiis eorum inſuetæ, naſum & linguam in me torquebunt? propterea non deterrebunt animum ab inſtituto, quin probos viros, & ſtudioſos participes faciam eorum, quæ dedit altiſſimus luminum diſpenſator. Sed quia de metallis abundè ſatis dictum eſt iis, qui mentem habent & ingenium, ad ea reuertar, quæ præſenti capitulo tractare propoſui. Radices igitur, frondes, flores, fructus, & id genus ſimilia, quæ molliora ſunt, item animalium ſanguis, & carnes, minutim conſciſſa, vel contuſa (& ſi velis, eorum ſuccus expreſſus) in cucurbita vitrea poſita, cum galea roſtrata, recipienteque, deſtillentur in balneo Mariæ, vel in cineribus, lento priusigne primi gradus, vt inter vnam atque alteram guttulas, viginti quatuor calculos numerare queas. Ignem hunc continuabis, donec tuo iudicio videbitur decimam totius

totius liquoris partem aſcendiſſe; tum amouebis recipiens, & euacuatum iterum admouebis: nam ſolet quod phlegmoſum eſt, & nullius valoris in omnibus, præterquam in vino, priùs aſcendere. Mox inde vrgebis ignem, donec ad ſecundum gradum peruenerit, vt interuallum duarum guttarum ſit numerus duodenarius. Hoc igne quinquies tantum liquoris accipies, quantum priùs abſtuliſti phlegmatis, id ſeorſum tanquam rei medicæ magis idoneum, ſerua: nam quod fuerit in cucurbita reliqui, ſolet ignearum virium quid ſecum, & aduſtionis non parum adferre. Tamen, vt curioſis rerum indagatoribus ſatisfactum ſit, progrediar ad extractionem olei ſimplicis, ex quacunque materia. Cucurbitam extrahe de balneo Mariæ priùs infrigidato, ne frangatur vitrum, & panno priùs ſiccata reponatur in cineres. Tandem igne tertii gradus, vt interuallum ſit numerus ternarius, totam aquam attrahe, donec videris eodem igne numerum augeri; tunc igne ad ſummum aucto, videbis liquorem nigrum, in modum olei ſpiſſi, plurimùm aſcendere, qui ſapiet aduſtionem. Poteſt enim hic fœtor, quem ab igne contraxit, per digeſtionem corrigi, hoc modo: Aquas primam & vltimam ad illud oleum affunde, vel ſi velis aquam fontis priùs tamen deſtillatam, & in vaſe putrefactorio I, furno G, vt vas ſit in balneo Mariæ vel maris poſitum, & concluſum, digeratur

per aliquot dies, demum deſtilletur aqua tota in alia cucurbita galeata per balneum Mariæ. Rurſus affundatur alia aqua fontis deſtillata, digeratur,& redeſtilletur: hoc toties reiterari poterit, donec fœtorem amittat oleum, quod ſemper in fundo cucurbitæ reſidet, niſi balneum efferuêre facias vehementer,tum aſcendet olei purior ſubſtantia, quam inſolabis in ampulla vitrea papyro perforata clauſa,vel hyeme per calorem accendioſi furni minimum. Hac via poterit oleum elici ſimpliciſſimum ex qualibet materia. Si verò quidpiam in fundo cucurbitæ reſtiterit, quod per balneum non queat aſcendere, per cineres vrgeatur, & per tubum in refrigeratorio aqua frigida pleno.

## *De ſeminum, & ſiccorum quorumcumq; deſtillatione.* CAP. IX.

POſſunt à ſeminibus recentibus aqua, ſimul & oleum elici,eo modo quem in ſuperiori capitulo deſcripſimus. Verùm à ſiccis oleum extrahitur per vehiculum, id eſt,per aſperſionem alicuius humoris extranei. Solent nonnulli vinum, alii ardentem aquam in vehiculum aſſumere,ſed cùm hæc rei ſubſtantiam immutare videntur, laudo fontanam aquam ad minus bis deſtillatam. Poſtquam ſemina ſicca fuerint in puluerē contuſa, puluis aliquantulū aſpergatur, vt moderatè madefiat in cucurbita vitrea, galea ſua roſtrata cooperta, nō lutata, vt recenti ſēper

vehiculo,cum opus fuerit,aſpergi poſſit. Hæc in furno G. vel H. ſuper pinnacidia terrea collocetur,vt galea ſola promineat extra furni cooperculum, & igne lento deſtilletur aqua cum oleo mixta,donec arefiat puluis, tunc iterũ madefiat: ſi verò cum aqua non fluxerit oleum, augeatur ignis,hoc ſæpiùs repetatur, donec cum aqua nihil fluxerit olei. Separabis aquã ab oleo per balneum Mariæ,aſcendet aqua tota, remanente tãtùm oleo inferiùs in fundo cucurbitæ, quod rectificari poterit per inſolationẽ vel digeſtionẽ,vt dictum eſt ſuperiùs. Conſultum erit,oleum per refrigeratorium aqueum recipere,ad euitandam aduſtionem. Solent etiam aliqui retortis vti vitreis,vt ſpiritus faciliùs effluat:quoniam non attollitur in illis ad tantam altitudinem, quàm in erectis cucurbitis.

## *Liquorum concretorum deſtillatio.*

### CAP. X.

LIquores concreti, qui liqueſcunt igne,per ſe deſtillari poſſunt. In genere duplici reperiuntur,aut vegetabiles,vt gummi ſunt omnis generis,vel minerales,vt gagates & carbo ſubterraneus:vegetabiles, vt thus, myrra, ladanum, ſtyrax calamita, maſtix, gummi iuniperi, camphora. Trita ponuntur in aquam deſtillatam ſimplicẽ ad infuſionem,ſub terra, loco perquam humido per aliquot dies, & cùm reſoluta fuerint, deſtillẽtur prout ſuprà de ſeminibus ſiccis narratũ eſt.

Aliqui vinum addunt vel ardentem aquam, ſed meo iudicio naturam eorũ immutant. Minerales, vt gagares, bitumen, & carbo ſubterraneus, per ſe deſtillari poſſunt in retorta vitrea, luto forti munita ſuper lentum ignem primò, tandem aucto recipiatur liquor. Poſſunt etiam hæc olea per deſcenſum extrahi.

## *Liquidorum ebullientium deſtillatio.*

### CAP. XI.

QVædam ſunt deſtillatu difficillima, propter ebullitionem, oportet igitur modum inuenire, quo retineri poſſint horum corpora, ne ſimul cum ſuis ſpiritibus in galeam ſe recipiant. Huius generis ſunt, mel, cera, terebinthina, & reſinæ, quibus in cucurbitã altam poſitis, ſuperimponẽdi ſunt calculi fluuiales parui, qui ſpumam detineant, & ſic igne mediocri procedendum eſt, donec liquores effluant. Solet primus albeſcere, quia phlegmate quodammodo permixtus eſt: ſecundus flaueſcere. Tertius autem rubet, ideo quòd vires habet magis igneas quàm ſecundus. Aliqui fragmenta laterum vel tegularum imponunt, ſed dum oleum ſimplex feciſſe putant, cõpoſitum habent, & laterinum magis, quàm eius, à quo denominatur. Alii frondes arborum iniiciunt, & lingnorum fragmenta, ſed hæc omnia de ſuo videntur quicquam tribuere, quod calculi dicti non faciunt. Hactenus omnes pręparationes.

nes ad rem medicam neceſſarias poſuimus tam exactè, vt neminem ingenio prędituū latere poſſit ars præparandi medicinas phyſicas, ex quibuſuis corporibus mixtis, hoc eſt, elementatis, quę ſimplicia ſolita ſunt appellari. Nunc autem, vt vnuſquiſq; promtior euadat ex lectura huius opuſculi, tædioſum non erit, philoſophorum tres potiſſimos lapides adiicere, nempe mineralem, vegetabilem, & animalem. Quòd ſub ænigmate titulos eorum poſuerim, factum eſt, non vt lateant, imò potiùs vt ingenioſi lectores, per exercitium, aſſueſcant obſcuris philoſophorum ſcriptis, & ſic in hoc opuſculo reſpondeant vltima primis. Læto igitur animo ſuſcipite lectores optimi, legite, relegite, fiet vt labore veſtro non fruſtremini.

*AEnigma facilimum, per quod reuelatus eſt lapis ille medicinalis, & mineralis.*

## CAP. XII.

VIſitabis interiora terræ, rectificando, inuenies occultum lapidem veram medicinam.

*Præparationis modus.*

HVius lapidis iam nobis manifeſti libras ſex, in olla fictili hunc in modum calcinabimus. Fornacem ex lateribus coctis ſe mutuò non contingentibus, vno ſuper alterum collocatis, circum ollam extruemus, cuius in medio ſuper fragmentum laterinum collocetur, olla ſuperius aperta, carbonibus quoq; circum ollam accenſis,

& ſucceſſu temporis auctis ad ſupremum vſque fornacis, exſiccetur lapis, donec ampliùs non fumet: quod mediâ poteſt horulâ fieri. Quo facto, carbones accenſos in ollam iniiciamus, quibus & in medio, ſicut à lateribus, calcinetur optimè quicquid in olla materiæ fuerit. Poſt quartam horæ partem, carbones amouendi ſunt, ſi res accelerationem exigat: ſin minùs, ſinimus per ſe conſumi, donec olla frigeſcat, tandem exemta frangatur. Si non ſatis rubuerit lapis, vel quidpiam albi relictum ſit in eo, conteratur in mortario, & puluis in alia olla priori ſimili, iacenteque ſuper prunas accenſas in fornace pauliſper immutata (prout videbitur) cocleari, vel rude ferrea ſemper moueatur, donec pro arbitrio ſatis rubeat. Ollarum ſitus, & fornacum formæ ſequuntur alterâ pag.

Hæc verò calcinatio ſolùm fit, vbi res, ad oleum hoc habendum, accelerationem exigit; alioquin longè maiori fructu deſtillatur vitriolũ crudum, in nouẽ cucurbitis totidemq; galeis vitreis, reſeruando ſpiritum eius in phlegmate deliteſcens. Hoc fit cohobationibus, vt paſſim habetur in omnibus fermè libris Paracelſi. Poteſt nihilominùs oleum ſimul, aut ſeparatim, ex capite mortuo ad multas ægritudines elici.

Deinde



Deinde cucurbitam ex terra fictili habeamus; oportet, materia tali compactam, vt ignem vehementissimum, fusionis metallorum instar, per aliquot horas citra læsionē sustinere valeat, quales apud Coloniam Agrippinam, & Haganoam in Germania fieri possent, ratione terræ his in locis optimę. Quòd si tales haberi nequeant, saltem videamus, vt figuli misceant vni tertiæ parti suæ terræ, duas tertias pulueris, è crusibulorum aurifabrilium fragmentis contusi. Sint hæc vasa stricti admodum orificii, vt collum retortæ vitreæ subintrare possint, quorum formam in triplicis fornacis delineamento videre licet. Talem cucurbitam dicto puluere fartam vsq; ad medietatem, vel paulo minùs, in triplicis fornacis media reuerberatoria, transuerso quidem situ, collocamus, vt priùs de vitriolo diximus. Collum oblongum cucurbitę promineat per foramen ad latus fornacis, pro quantitate quinque vel sex digitorum latorum, quod in retortam magnam vitream (qualem pro vitriolo sumsimus) intret. Commissura, pultibus ex ouorum albumine farinaque subactis, obstruatur, & fornacis foramen circum cucurbitæ collum prominens, argilla munitum sit, ne calor expiret inde. Mox carbones accensos in fornacem ponamus oportet, primò paucos, & sic igne lento phlegma totum eliciamus. Postquam viderimus vas recipiens implctum esse spiritibus albis, vt introspici non possit.

possit (quod potissimùm in calcinatorum destillationibus fieri solet) amouemus illud vas recipiens,& altero statim admoto, maiorem excitabimus ignem: sensim carbones imponendo, per foramen medio solarii fornacis factum, quod postea latere venit obstruendum. Hoc continuabimus,donec tota cucurbita carbonibus cooperta sit, & accensa candeat omnino. Vulcanicum ignem hunc exercebimus tamdiu, quousque retorta recipiens iam optimè clarescat,nullísue nebulis ampliùs imbuta,nobis patefaciat, quid sudoris & laborum sit præmium. Hoc opus octo sæpiùs horis perfeci, quod vix septuaginta duabus, hoc est, tribus diebus, ac totidem noctibus,perfici posse scribunt nonnulli docti viri. Liquor exemtus debet sæpiùs rectificari, nec non ad summam subtilitatem redigi, veluti suprà dictum est de aliis. Quo facto poterit ægris administrari cum theriaca, vel mithridate, contra quoscunque morbos.

*Aliud ænigma, per quod secundus lapis, & vegetabilis ad medicinam detegitur. Vnum post quinque,nihil.n. post quinq; millenum colloca.* CAP. III.

HVius partes 16. æquales in cucurbita vitrea vel cuprea destillabimus, aut terrea vitreata, fornace quam ascensoriam nuncupamus, & igne temperato, donec visum fuerit harum partium.

vnam accendisse, quam seorsum ponemus. Admoto tandem alio recipiente continuabimus, quousque aliam similem extraxerimus partem: quam etiam ab altera semotam separabimus. Tot extrahendæ sunt partes tales, donec gustu perceperimus, nihil aut parum liquori stillatitio virium sulphurearum inesse: quod optimé probabitur, si liquor admotus igni flammam conceperit tanquam sulphur: si non, cessandum est, & quod residuum fuerit in fundo cucurbitæ fecum, & phlegmatis, prorsus euacuabimus. Recentes iterum partes sexdecim vt priùs destillabimus. Toties hoc repetendum est, quousque liquoris huius maximam partem habuerimus, tam primæ, quàm secundæ, tertiæ, quartæque (si tot sunt) destillationum. Deinceps cucurbitam ad medietatem, vt priùs, implebimus destillatione prima: cuius mediam partem cum extraxerimus, amoto recipiente, reliqua medietas altero vase recipiatur. Quod iam de prima destillatione factum est, de secunda, tertia, reliquisque fiat oportet. Sic primæ destillationis prima, & secunda, seorsum destillationes habebuntur, item & secundæ ac tertiæ prima & secunda, & sic de reliquis. Poterit etiam tertiò reiterari hæc destillatio vase cupreo, vel terreo vitreato, sicut priùs, vnicam lagenā imponendo, si primæ primam accipias: ex ea medietas cũ ascenderit, ponatur seorsum, & vocabitur ex prima primæ

primæ prima. Cùm ſecundam receperimus medietatem, hanc inſcribemus ex ſecunda ſecundæ ſecundam. Neceſſarium erit ad hoc opus multas habere lagenas, & ordine ſuo quæque locanda eſt, vt dignoſcatur, vel ſingulis deſtillationibus (quod potius fuerit) ſcheda pultibus affixa notanda venit. Erunt ex qualibet deſtillatione repetita ter tribus in quatuor, duodecim lagenæ. Quæ ſeparatim poterint rectificari vitreis organis, vt de ſuperioribus dictũ eſt. In æthereã ſubſtantiã, prima, ſecunda, & tertia lagenæ redactæ, poterunt contra quoſcunque morbos adminiſtrari. Doſis erit pro diſcretione medici.

## *Tertium ænigma, per quod lapis ad medicinam potiſſimus, & animalis à philoſophis dictus, reuelatur.* CAP. XIIII.

PRecium vile carum draconi caducifero, pro ſexta ſui parte, deuorandum exhibemus. Quo deguſtato, mox inquietus ille ſerpens gradum ſiſtit, & in ſoporem actus, aquis è duobus fontibus, albo viridiq; manantibus abſorbendus datur: donec redeat æſtas proxima, quæ ſuo vehementi calore ſiccet aquas, & cadauer in profundo maris appareat mortuũ. Quod in ignem proiectum, reuiuiſcit, aliſq; ſibi reaſſumptis euolat in auras in igne tamen relicto fœtu: quem parit ex conceptione precii. Fœtus hic quia in igne natus, vt Salamantra nutriendus eſt igne, quouſ-

que iam adoleſcens factus, valde rubicundus, & ſanguineus euadat. Tum felicioribus vndis, quã ille quibus mater, lauandus eſt, & ſubmergendus, vt ex morte ſua languentes viuant feliciùs. A corpore iam pallido facto, ſepatatur anima cum ſanguine: quæ precium nobis eſt, corpora cuncta vilibus valeant. Animam hanc vndiquaque ſanam, in ægrum corpus fuſam, illud ab omni labe mundum, ſuæ virtutis ſimplicitate, reddere, compertum habent philoſophi. Hæc eſt omnium medicinarum medicina perfectiſſima, ſimpliciſſimaque, nihil in humano corpore corrupti relinquens: ſed omnia languida refocillans, & in temperiem tranſmutans quicquid intemperati fuerit, ac imperfecti. Vnionis ſimplicitate ſua, pacem facit inter inimicos mortales, & concordia, vitam in hoc ſæculo (Deo dante) ſemimortuis tribuit, ac ſanitatem largitur ægris corporibus.

## *Concluſio prioris operis.* CAP XV.

SOlent omnes, quotquot ſunt huius artis ignari, licet ex Vniuerſitatibus doctiſſimi ſint, eam improbare: quid mirum? cum tale quid nunquam audiuerint, vel experti ſint. Ex eo non ſequitur artem fore damnandam, quam ignorarunt docti viri. Multa quidem noſtro ſæculo prodierunt in lucem, quæ priſcis ignota fuerunt, non ſecus ac plurima iam delituerunt no-

bis,quæ patribus antiquis erant familiariſſima. Quid non temporis iniuria, nec non hominum ignauia, tranſit in obliuionem? propterea non deperit res ipſa cum memoria,ſed poſtquam aliquādiu ſepulta iacuerit illis eo tempore, eiſdem hoc ſæculo, vel aliis emerget nutu Dei: cuius in pectore quieſcunt ab æterno cum eius ſapientia, cunctæ laudabiles artes,ac bonæ. Diſtribuit Deus omnipotens dona ſua quibus vult, & aufert ab ingratis qui abutuntur illis. Dubium non eſt, quin Deus antiquis patribus medicinam aliquam reuelauerit, per Spiritum ſanctum ſuum, qua tuerentur carnis corruptionem, & potiſſimùm iis,cum quibus loquutus eſt, & fœdus iniuit:Sed poſtquam hominum per ſe ſapiendi vanus appetitus, induxit eos ad quærendum ſalutem á ſeipſis,& in aliis rebus,quàm in eo, in quo ſalus eſt & redemptio, cæcutiuit mens eorum,& in labyrinthum ducta, nunc hanc, nunc illam herbam, cras iſtam & aliam radicem, poſtridie mixtum quid, & ſic in dies experientes, nunquam ad ſcopum deuenerunt, nec ſuæ doctrinæ certitudinem veram habent, ſemper in eo dubioſo hærentibus labyrintho, nunquam contingit adire Corinthum. Et quod magis abſurdum eſſe videtur, homines ſuâ ſorte nunquam ſunt contenti. Dedit Deus vnicuiqne nationi quod voluit eam poſſidere, tam in alimentum, quàm in medicamentū. Quid inde? noſtra nos docet ini-

micus contemnere, alienaque ſemper appetere. Habemus apud nos, & fortiùs in nobisipſis, non à nobis, quæcunque extra nos quærimus, vel ab aliis. Videamus qui Gentiles Pagani hoc in loco nos arguant Chriſtianos. Inquiunt enim, natura naturam ſibi ſimilem appetit, & congaudet ſuæ naturæ; ſi alienæ iungatur, deſtruitur opus naturæ: mirabile dictum iis, qui non bene conſiderant quid ſit natura, ſed his qui naturam norunt, nihil verius eſſe poteſt. Natura triplex eſt, ſcilicet: Vniuerſalis, particularis, & mixta. Vniuerſalis natura conuenit omnibus, & per omnia. Particularis ſibi ſimili conuenit, & triplex eſt ratione ſuarum partium. Mixta natura magis materiæ, ſpirituique minùs cònuenit, quapropter impeditè dici poteſt agere. Ex hac tota medicina ſæculi noſtri dependet. Igitur ſecundùm hanc, minùs probamus ea quę fuerint extra climatis naturam ad medicinam aſſumta, quàm illa quę ſunt eiuſdem climatis. Pari modo minùs conuenit particularis natura diuerſi climatis, quàm eiuſdem. Vniuerſalis natura diuerſi climatis, quandoque magis, aliquando minùs, operatur, ſecundùm cœli diuerſas influentias: attamen plus conducit, quàm particularis aut mixta natura proprii climatis. Et ſecundùm hanc rationem, triplex erit medicina, ſcilicet vnarii metaphyſica, ternarii phyſica, & binarii vulgaris: quę poſtrema ſimplicis nomen hoc ſæculo ſortita eſt, quod tamen duobus

duobus prioribus olim inditum erat, ac magis congruum. Hinc fit, quòd hi, qui medicinæ mixtorum duntaxat operam dederunt, ingenio licet ſint acuto, nõ poſſunt aſſequi notitiam illius medicinæ tam vniuerſalis, quę poſſit indifferenter omnibus mederi morbis, hac inducti ratione: nulla medicina (inquiunt) poteſt aſſignari, quæ non ſit calida & ſicca, vel calida & humida: quî poterit igitur calida & ſicca medicina morbum calidum & ſiccũ pellere ſuperflua? cùm hoc frigido humidoque medicamento fieri debeat: nam contraria contrariis curantur? At maior eorum neganda eſt, quia in omni mixto vel indiuiduo, reperitur aliud quàm calidũ, frigidum, ſiccum, humidum, vel elementum. Quod ab his omnibus arte noſtra ſeparatur, hoc non eſt humidum, neque ſiccum, nec frigidum, & minùs calidum, ſed æthereum quid, vt cœlum ab inferioribus ſegregatum elementis: quapropter à philoſophis cœlum nominatur hæc medicina, quia non aliâs agit in corpora noſtra, quàm cœlũ in inferiora, tum etiam quòd incorruptibilis naturæ ſit reſpectu corporis, à quo ſumta eſt, ſicut cœlum reſpectu elementorum. Sunt enim elementa per ſe mortua, quæ niſi viuificẽtur ab anima vel ſpiritu mundi, nihil producunt: veluti terra quæ ſub dio nõ fuerit, quantumuis pinguis ſit, nihil producit: Sed ſub nudam auram poſita, ſuas herbas, & animalcula profert, nihil tamen

tam ſolidum in globo terræ, quod impedire poſſit, quin hæc anima penetret in eius centrum, vſque: docet nos hoc generatio metallorum, in viſceribus terræ hiatum aut ſpiraculum non habentibus. Videmus ergo differentiam inter generationem vegetabilium, & animalium, quæ non fit niſi per medium aëris liberi, & inter metallorum generationem, quæ fieri non poteſt, niſi vaſis vndique clauſis: nam ſi pateret vaporibus metallicis exitus, nunquam congelarentur in metallum, ſed euaneſcerent in auras. Inde iudicium facimus, animam in metallis eſſe magis penetratiuam, quàm in animalibus & vegetabilibus: quoniam vaſa perquàm ſolida penetrauit lapidea, quæ ſpiritus aliorum acutiſſimi penetrare non poſſunt. Qui putaret elementa per ſe generare, Philoſophus non cenſeretur magis quàm fatuus, qui vellet aſſerere mulierem abſq; viro naturaliter imprægnari. Quamuis elementum vel ignis ſubterraneus terram in ſulphur comburat, & aquam in vaporem aëreum excitet, nihilominus animari non poſſunt, niſi per animam penetrantem, de qua ſuprà dictum eſt.

Habet ignis elementaris potentiam actiuam ad corrumpendũ, non ad generandũ, vt ſupra. Rurſus, qui negauerit ignem elementarem in centro terræ habere primam originem, vnde naturaliter aſſurgit ad concauitatẽ ſuæ ſphæræ philoſophi non eſt dignus appellatione, quia fatetur ignora-

ignorare, quòd ignis corruptionis, magiſterium exercet in reliquis elementis. Generationis verò beneficium cœlo debetur, non elementis: per hoc poſſumus concludere generationẽ omnem inter cœlum & elementa fieri. Nunc videndum eſt, quíſnam ſit fœtus huiuſmodi partus, certè finis eſt generationis, vt corruptionis finis, eſt generatio. Sed vt apertiùs loquar, fœtus eſt mixtũ ex vtriuſque parentis ſubſtantia, productum ad ſui perfectionem. Omne indiuiduum eſt mixtum perfectum, quia licet aliquando fuerit aliqua ex parte deforme, non eſt hoc adſcribendum naturæ nec formæ (quas non contingit errare) ſed materiæ (vt ſuperiùs dictum eſt) indiſpoſitæ. Videntur ergo plurimùm errare, qui ſimplicia vocant indiuidua & potiſſimùm vegetabilia: niſi fortaſſis hoc faciant reſpectu medicinarum ex pluribus mixtis, & indiuiduis compoſitarum, & ſic quodlibet mixtum, vnicum ſimplex eſſe ſomniant: hinc venit appellatio Simpliciſtarum, his applicata, qui vegetabilibus dignoſcendis operam dant. Nunc ad ſimplicem illam medicinam reuertamur. Quicunque talem negat medicinam dari poſſe, quæ valeat in corruptibilitate ſua quamuis corruptionem indifferenter corrigere, cœlum inferiora ſuſtentare vel gubernare negat. Sed ne videamur naturæ ſecreta lenocinio proſtituere velle, pauca de his ſapientiæ filiis ſufficiant: hi facilè quid per hæc velimus intelli-

gunt. Qui verò noſtram ignorant artem & rident, fugiant hinc procul, quoniam illis in ruinam eſt poſita: vt quærentes non inueniant, & audientes non intelligant. Non eſt proiiciendum roſas & margaritas ante porcos, ne pedibus eas, tanquam betas labiis eorum inſuetas, conculcent. Sapientiæ filii ſpiritu, non ore hauriunt alimentum, vt mente magis quàm corpore viuant. Interim tamen, vt ſit mens ſana in corpore ſano, cupiunt, donec à naturæ vinculo ſoluta, tria hæc in vnum rurſus vnita, viuant in æternum.

*Finis prioris partis Clauis Philoſophiæ Chymiſticæ.*

SECVN-

SECVNDA PARS

# SPECVLATIVAE PHILOSOPHIÆ, GRADVS SEPTEM VEL DECEM continens, per quos ad sublimia menti patet aditus.

*Accessit his mundi Fabrica, Peregrinatioq; vitæ communis, quarum cognitione vitatur erroris via, veritatisq; semita demonstratur:*

Colloquiis, & comparatiuis recapitulationibus singula illustrata

Per GERARDVM DORNEVM.

# AD BENIGNVM LECTOREM AVTORIS PRÆFATIO.

*POſtquam Chymiſticæ philoſophiæ clauem, hoc artificio compilatam, vt quodlibet capitulum peculiarem tractatum requireret, abſoluiſſem, facere non potui, quin explicationem primi capitis huius philoſophiæ ſtudioſis amatoribus darem: vt qua facie labores noſtros recepturi ſint, experirer. Quod ſi hos illis gratos & acceptos foreperce-perim, quandoque maiora videre licebit, quàm hucuſq; de meis lucubratiunculis proceſſerunt: ſin minùs: aliis hac in re ſuum vt experiantur ingenium, ſi quid vtilius excellentiusq; præſtare velint, relinquo: feciſſe me ſatis, dum cunctis per clauis traditionem, & graduum demonſtrationem, viam aperuerim, exiſtimabo. Sat ſcio, plurimos ex his, qui nihil præterquam ea, quæ vel ſua ſunt, aut ſaltem ſibi cognita, vel in Vniuerſitatibus audita, probare ſolent, dentes in eos acuere, qui ſecretiora naturæ ſcrutantur myſteria. Verùm hoc non admiror, cùm tales animaduertam peſſimè habere, quòd poſt eorũ longo labore, ſumtibusq; non exiguis parta ſtudia, quibus iam ſibi canos cõtraxêre capillos, noua ſibi quædam, ſi non inaudita, ſaltem parum, aut nihil intellecta prodeãt in lucem, ſuis longè præſtantiora: antiquiſſimis etiam auctoritatibus, & experientia recenti ſic probata quibuſuis iudicio ſanioribus, vt nullis argumentis labefactari queant. Senio confe-*

*ctos discere pudet, eos maximè qui docere solent alios, rustico potiùs, quàm philosophico pudore motos. Nunquid & nos ætatis, laborum, & sumtuum in Academiis iacturam fecimus? nec veremur tamen à minoribm pedem, quem in stabiliora figamus, retrahere. Non propterea (vt nostra ii) spernimus ea quæ docentur in Vniuersitatibus, omninoq; reiicimus, tanquam nulla forent, hoc solùm dicimus, nos experientia longè meliora didicisse, quàm lectionum frequentationibus. Nec dubito, multos futuros, qui dum rem ipsam carpere non poterint, occasionem vel minimam quærent, aut sermonis inculti, vel ordinis in tractatione, qua quod lacerare non valent, rodant. Verùm vt pro vtraq; respon-sum sit his, certum est, eos qui rebus ipsis intenti sunt maximè, rerum inutiles, circumstantias minimè curare, tum quòd videant, ad rem verè cognoscendam hominis ætatem longissimam deficere, tum etiam in veritatis professione locum non esse pallio: veraq; minùs sermonis elegantia, vel multiloquio colorari solere. Ne videar etiam alicui de physicis in mea Claue positis principiis in moralem philosophiam incidisse, doctis hoc reuelabo secretum. Ea quæ videntur physica quandoq;, licet non semper, moralia sunt philosophis, tum occulta legentibus manifestissima sibi, quæ non minùs aliis pro occultissimis reputantur. Hac arte velarunt artem iis, qui rident omne quod assequi non valent ingenio.*

*Hinc etiam factum à me putetis, quòd post traditionem artis eiusq; Clauis, mox inde gradus vt media proponam, quibus vestra studia de gradu in gradum ad altiora promoueantur. Impossibile foret quempiam literatum, vel quantumuis doctum, ad hanc artem naturæ secretissimam peruenire posse, nisi per hos gradus philosophicos omnes moraliter, vel saltem physicè, transitum fecerit: licet vtroq; modo feliciùs. Alios defuturos non puto, qui dum accusare philosophos tautologiæ, vel superfluæ repetitionis audebunt, suam in hac arte prodent ignorantiam: cùm huic philosophiæ proprium sit, ea priùs obiter discurrere, quæ postea latiùs explicantur, & postremò recapitulatione quadam repetere, quæ legentium animi, rei frequentia potiùs confirmentur, quàm cogantur ea multiloquio credere, quæ sibi coactè non sunt obtrusa. Philosophi omnes amore quodam studioso peruenerunt ad artem, hoc etiam alios ad hanc admonent, non cogunt tamen. Nec est etiam quod existimetis, hîc aureos latere montes, aut tantopere iactatum illum philosophorum lapidem, qui cuncta (vt asserunt nonnulli) in aurum monetarium inferiora quæque metalla transmutare queat, sed physicum vobis lapidem propono quærendum, quo corporis humani physica metalla minùs perfecta (morbos putato) per metaphysica perfectissima permutari valeant metalla, quæ vocantur Eleysiria, medicinaq; omnium sim-*

*ſimpliciſſimæ. Qua de re tot locis philoſophi hortantur omnes, quotquot ad hæc ſtudia ſe conuerterint, ne philoſophorum ſcriptis per literam fidem adhibeant, ſed vt allegoricè potiùs interpretentur ea. Summas in ſanitate mentis & corporis diuitias antiqui repoſuerunt: ex eo patet, quòd plerique horum qui hanc artem nobis tradiderunt, ſtrictiſſimam paupertatem libenter obſeruarunt, vt Raymundus Lullius. Alii vel mediocriter vixerunt, vt Hermes Triſmegiſtus, vel ſplendidè bonis quæ non ex hac arte, ſed paterno ſucceſſu habuerunt antea, potiti ſunt, vt Geber Arabum opibus paternis rex ditiſſimus. Quicquid ſit, hoc ſcio, dum adhuc artis diſcipulus minor eſſem, vnà cum cæteris ditari cupiens hoc magiſterio, poſt multos labores, fœtitos, valetudiniáq; noxios halitus hauſtos, ſumtuſq; non exiguos, oleum & operam perdidiſſe me. Nec tamen illud animum ab iſta philoſophiæ parte meum retrahere potuit: imò potiùs, tum quòd tantorum virorum graues admodum legerem authoritates, tum quòd experiendo mirabiles viderem operationes naturales: perſuaſum eſt aliò mihi nauis huius proram eſſe diuertendam. Et cùm animaduertiſſem medicinas metallicas non tranſmutare metalla, ſed tingere tantùm & illuſtrare: de philoſophicis tincturis philoſophos artem ſcripſiſſe iudicaui, voluiq; pariter eas, quæ circa humanum corpus applicari poſſent, experiri tincturas: maximè quód olim rei medicæ*

*non hac, ſed alia (quod aiunt) minerua dediſſem operam. Tandem Aureoli Theophraſti Paracelſi doctrina prouectus, quicquid deſiderari poteſt, diuino conſequi poſſe medicum auxilio, circa corporis humani curationem ex Alchymia haud ampliùs dubito. Hæc ſunt ſtudioſe lector, quæ de meis laboribus tibi polliceri poſſum, nempe quæ plurimùm acuent ingenium tuum ad eorum intellectum conſequendum, quæ ſcribuntur à Philoſophis in arte tranſmutatoria. Si quæ plura tamen de hoc ſtudio ſperanda putes, ab eis qui feliciori ſunt ingenio petere poteris: interim ea quæ ſtudioſorum in vtilitatem libenter adfero, boni conſule, valéque.*

De Spe-

## *De Speculatiua Philoſophia.* CAP. I.

SPeculatiua Philoſophia dicitur benè compoſitæ mentis á corpore voluntaria diſtractio : qua faciliùs circa veritatis cognitionem verſari queat animus. Ad bene vereque ſpeculandum , requiritur bona corporis diſpoſitio, quæ mentem non impediat: Hæc dupliciter acquiri poteſt, naturâ ſcilicet vel arte. Quæ naturalis eſt, arte iuuari poreſt, necnon id adipiſci, quod à natura hac in parte negatum fuerit: præcipuè rationis uſu, tandem ſobrietate victus, & medicinis Philoſophicis : horum vnico vel omnibus ſimul adhibitis remediis. Verùm vt meliùs intelligatur quid hæc ſibi velint, ab omnibus definitionis terminis , ad vltimum vſque veniendum eſt. Mens bene compoſita dicitur, quoties animus cum anima tali vinculo iunctus eſt, vt corporis appetitus frænare valeat. Corporis bona diſpoſitio, cùm ſuis corruptis appetitibus minùs fuerit obnoxium , intelligatur: & optima cum partium eius componentium excellentiorem temperaturam acquiſierit, tunc minùs quæ ſua ſunt appetit, mẽtique fit obedientius. Quicquid corpus appetit, corruptum eſt. Verùm nihil appetere poteſt niſi per facultatem animæ, quæ corporis eſt motrix: hæc ſimpliciter mouet abſque boni vel mali conceptione: Corpus huiuſmodi motum ſuſcipit , ac per ſui corruptam

naturam in malum appetit exequi, niſi reſiſtat animus, qui nil niſi bonum ſuadet. Eſt igitur anima bonum & malum inter ſita, ſuamque boni habet optionem per bonum, & mali per malum: permittente bono (non aliàs) tale malum fieri, propter continuam reſiſtentiam quam facit anima corpore tracta, contra tractum animi bono moti, quæ propriè pertinacia mali contra ſpiritum ſuadentem omne bonum dici poteſt. Vt hæc meliùs intelligi queant, ſciendum eſt, hominem tribus potiſſimis conſtare partibus, Animo ſcilicet, Anima, & Corpore. Dicitur Animus ſpiraculum vitæ. Anima quidem organum eſt animi, id eſt ſpiritûs, veluti Corpus organum animæ: quæ vita corporis eſt, & ſubſtantia media inter animum & corpus. Hæc ſi magis adheſerit animo quàm corpori, Mens exurgit ac internus homo: ſi contrá corpori magis quàm ſpiritui, non fit mens, at externus homo dicitur, & tenebrarum abyſſus. Tribus etiam delectatur animus: Ratione, Intellectu, & Memoria. Ratio ſpeculationis imaginem intellectui repræſentat, hic eam arcanis conſeruandam exhibet memoriæ. Ratio prima Mentis eſt æternæ perpetuus & inuiolabilis ordo: cuius homo factus eſt particeps ex dono Dei, ſimul & intellectus, qui rationis eſt apprehenſio: Non ſecus ac Memoriæ, quæ quidē amborum conſeruatio dici poteſt. Anima duobus conſtat, Motu videlicet, ac ſenſu. Motus eſt, aut natu-

aut naturalis vel accidentalis ; ſed quia de hoc in Claue noſtra tractaui, hîc obiter pertranſeo. Senſus eſt, vel viſæ, vel auditæ, deguſtatæ, olfactæ, vel tactæ rei perceptio : Nam corporis membra, per quæ ſenſus ab anima percipiuntur, ſenſuum propriè vocamus organa. Senſuum perceptio rerum præteritarum noticiam , præſentium repræſentatione reuocat in memoriam. Hanc animalia bruta cum hominibus communem habent : nã illa ſolùm præſentibus oblatis, eadem ſenſu recolunt. Eſt & alia radix memoriæ perquám excellens , quæ nulla repræſentatione media, ſed ſpiritus nunquam ocioſi ſedula tantùm agitatione dictam colit memoriam , virereque perpetuò facit : hæc memoriæ continuatio rationis cultum ſubſequitur, & eſt homini ſoli contingens. Ergo ſenſus eſt communiter animalis ratio particulariter intellectualis : quia non intelligunt bruta, niſi per ſenſum præſentem : Animalia rationalia per intellectum à ratione motum, & ſenſum, poſteriore ſiue, vel medio. Iterum animus & corpus in rationibus oppoſita ſunt contraria, quæ nunquam poſſunt coniungi niſi per mediam animam de vtroque participantem inimico ; ſed quia alterum extremorum eſt perfectum , & alterum imperfectum, ſi motus fiat á perfecto, per medium, tranſit in imperfecti perfectionem, & econtra. Hac ratione Deus omnia condidit, ex tribus in vnum vt con-

ueniant: ipſe namque pacis auctor eſt & vnionis. Duo & vnum ſunt inimici. Reiiciatur binarius, vt in vnum ternarius conuenire poſſit, quod in Claue latiùs dictum eſt: copioſiùs hîc non repetam. Animus omnibus eſt æqualis, mens verò non omnibus æqua. Pauciſſimi ſunt qui cum animo coniunctam habent animam: multi qui ſecundùm magis & minùs de mente quid participant: plurimi qui corpus in anima colentes, & hanc in corpore, non agnoſcunt animum, quibus nulla mens, at inſania manet. Mens itaque bene recipitur, quoties animus & anima conuenientia ſimul, à corpore ſunt ita recepta, quòd ex his tribus vnum fiat conſonum & inſeparabile: ſed hæc amicitia nullo modo fieri poteſt, niſi per ſeparationem, ſine qua non fit coniunctio metaphyſica. Vnum eſt ſolum, quòd ſi ſolum manet, impoſſibile eſt cum altero iungi: ſi tamen cum altero coniungendum ſit, hoc alterum ex illo vno ſeparari neceſſe eſt: cùm nihil ſit præter id vnum. Et quia partes vnius ex vno ſymboliſant, vel ſympathiam habent, in vnum de facili conueniunt: ſed eò faciliùs, quò minùs per interualla ſeparatæ ſunt ab vno. Quapropter mentis á corpere diſtractio neceſſaria eſt, vt eius & alterius fiat vnio. Sed cùm vnio perfectionem requirat, ab extremo perfecto (ſicut ſuprà dixi) per medium facit tranſitum ad imperfectum, vt illud perficiat. Per huiuſmodi mentis à corpore diſtra-

ctionem

ctionem (quam voluntariam nonnulli mortem vocant) acquirunt animus & anima ſimul iuncta, potentiam ac dominium in ſuum corpus, quod ſolus animus non habebat antea, propter medium renitens, per quod naturalis tranſitus fieri debet: quia non conueniunt inimici, niſi per ſequeſtrem neutrum ex parte diſcordiæ: ſed participem ex parte reconciliationis vtriuſque. Hoc poſtremo labefit aſtronomia iudiciaria, quę diſpoſitionem aſtrorum inclinare, ſed non neceſſitare docet: nam aſtra mentibus hominum longè ſunt inferiora, pariter ignobile, parum aut nihil penitus in ſe nobilius poteſt. Verùm ſi corpora humana vincant animam, eamque reducant in corruptibilis corporis ſeruitutem, inficias non iero, quia corpora aſtrorum tunc nobiliora ſunt hominum, ſimilibus corporibus ſuas in humana corpora paſſiones imprimere poſſe. Breuiter, ſapiens dominabitur aſtris, inſipiens nedum his ſubiicitur, verùmetiam inferioribus & ærumnis quibuſcunque. ſapiens eſt qui mentem adeptus eam excolit: inſipiens verò, qui corpus in anima, vel hanc in corpore, diligit, animo neglecto: quod etiam ex verbo diuino comprobatur. Qui diligit animam ſuam (intellige in corpore) perdet eam, & qui odit eam (vt ſuprà) in æternum cuſtodit eam. Diligere dicitur is animam in corpore, qui ſuos appetitus prauos exequitur: econtra qui non exequitur, ſed vanita-

tum cogitationibus delectatur, corpus in anima videtur diligere. Odit animam ſuam in corpore, qui corporis frænat appetitus, & corpus in anima, qui vanis reſiſtit ſpeculationibus. Viſum eſt & hoc adiicere, quod apud probatiſſimos auctores, & præcipuè theologos, anima nonnunquam pro ſpiritu, & hic pro anima, ſumitur indifferenter: per hoc non eſt inferendū, quòd ſpiritus & anima ſint vnum & idem ante mentis compoſitionem, ſed pòſt & in eo conueniunt philoſophi cum theologis, nam ſiue mentem vocemus ſpiritum, ſiue animam, appellatione vnius non excludimus alterum: propter vnionem iam factam. Non dicitur vnio vera, niſi fuerit inſeparabilis: poſſunt tamē vnionis initia iaci, quæ non conſequuntur effectū: per hoc non ſtat, quin mens adhuc imperfecta magis vel minùs appellentur. Qui perfectā conſequūtur mentem, ſunt pauciſſimi, qui inchoatā habent, multi, qui nullam verò, plurimi. Nuncad corporis anatomiam veniens (vt ſuprá) dico bonam corporis diſpoſitionem ad veram ſpeculationem eſſe neceſſariam (nimirū) quia corpus ex ſui corrupta natura plurimùm aggrauat animam & impedit, quò minùs ſpiritus actiones percipere poſſit. Nonnullis à natura datum eſt, magis idoneos eſſe cæteris, ad hanc ſeparationem faciendam, vtpote quib⁹ ad naturalē corruptionem, in eorum formatione, per accidens, nulla prorſus, vel pauca ſal-

ca ſaltem, acceſſit corruptio. Minùs apti ſunt, qui præter ortiuam corruptionem & acceſſoriam, ex propria petulantia, victuſque diſſoluta ſerie, rationem impediunt: vt ſunt hi, qui mundanis agitati curis, ea quæ extra mundum perpetua ſũt, negligunt, & qui largiùs vtuntur eis quæ natura dedit in neceſſitatẽ, quàm par ſit. Quapropter vti per acceſſionẽ alicuius quid impeditur, ita per amotionem eiuſdem iuuari poteſt. Fiunt itaque medicinæ philoſophicæ per Alchymicam artem, præ cæteris excellentiſſimam, à propriis ſemotæ corporibus, quæ per naturalẽ vim agendi, quam habent in proprium corpus, & poſt remotionẽ ſuæ partis patientis, retinent, id idẽ in alienum corpus obiectũ exequi poſſunt & excellentiùs, quàm à natura datum illis erat in propria corpora perficere. Nunc quicquid eſt in rerum natura, formam habens & materiam, deſiderat in ſuo genere perfici: quod naturale deſiderium, perfectionis omnium eſt potiſſima cauſa. Et cùm natura ſibi ſimili naturæ iungi gaudeat, ac delectetur in ea, vincente mente, per ſibi ſimile medicamentum adiuta, corpus in eandem condeſcendere naturam cogitur: ſicut vincente corpore ſibi ſimilibus corroborato corrumpentibus, anima cogebatur priùs. Quod, ne cuipiam abſurdum videatur, adiiciam. Quoduis nutrimentum in ſangui-

nem nutriti mutatur eiuſdem naturæ, cuius fuerit nutrimentum: exemplum natura docet in his, qui ferocium animalium carnibus aluntur, aſſiduè ferociſſimos fieri. Nihil aſſumitur in nutrimentum à natura , præter id quod eſt ſubtilius; craſſum & feculentum reiicitur in excrementum , & iterum nutrimẽti ſuperflui quoduis excrementũ, natura per poros in ſudorem , vel per veſicam, aut lachrymas eiicit. Hoc mouit præceptorem noſtrum Theophraſtum Paracelſum dicere , quoduis corporis membrum ſtomachum habere proprium, in quo decoquitur nutrimentum, & fit in eo ſeparatio ſuperflui á neceſſario. Si per membri cuiuſpiam ſtomachi debilitatem, huiuſmodi ſuperfluitas non ſeparatur , ob malam digeſtionem, ſuperfluum hoc nutrimẽtum, vel carnes in tali menbro cogit in tumorem corruptum excreſcere, quod apoſtema vocarunt: vel oſſa præter naturam extendi. Huius exemplum in multis vidi, nempe coſtas omnes ab vno latere , hac de cauſa , præter naturalem ordinem extenſas fuiſſe , gibbumque ſub ſcapulis excitaſſe præter dolorem: quia non potuit hæc ſuperfluitas in apoſtema purgari, propter oſſium ſoliditatem, & in excreſcentiam eſt dilatata ſine purgatione, doloreque: nam oppreſſa non fuit ampliùs. In medicamento philoſophico nihil groſſi relinquitur, nec ſuperflui quid: quapropter incorrupta natura totum hoc medicamentum aſſumit,

ac ſi-

ac ſine ſeparatione tranſmutat in ſibi ſimilem naturam, vt pote ſuperfluitatis expertem. Incorrupta natura, dicitur balſamum naturale, quibuſuis corporibus naturaliter inſitum, per quod eorum calor & humor etiam naturalia, quantùm fieri poteſt, à corruptione præſeruantur, quo deficiente, corpus humanum efficitur leproſum, & eo conualeſcente per augmentum, quod iam corruptum eſt, propter eiuſdem balſami paucitatem, in excrementum eiicitur. Differt in hoc medicamentum philoſophicum à phyſico, quòd hoc vnà cum ſuo corpore traiectum in ſtomachum, non aliter quàm cibus in triplex alimentum, & duplex ſeparatur excrementum, illud in balſamum, mercurium, aut vulcanum tranſmittatur. oportet enim tres corporis phyſici partes potiſſimas, ſanguinem, ſal, & ſulphur, ſibi ſimilibus nutriri. Hinc fit, quòd cibi potuſque quotidiani cum ſuis ſumuntur corporibus, nam quoduis elementum ſuſtentatur elemento, ſed omnia ſimul conueniunt, & in temperatura conſeruantur ab æthereo, cui noſtrum balſamum & ſocios quantùm poſſumus conformia reddimus, quoniam eſt in corpore humano quædam ſubſtantia conformis æthereæ, quæ reliquas elementares partes in eo præſeruat, ac pro ſuis viribus continuare facit. Spiritus itaque medicamenti philophici cum anima ſua iunctus, & à corpore ſuo ſeparatus, mentales par-

tes in ſibi ſimilem ſubſtantiam tranſmutat, corpus quoque phyſicum à corruptione præſeruat, corruptumque corrigit: Methaphyſicum habere poſſe corpus noſtram non negamus medicinam, tunc ſcilicet, quando corpus eius factum fuerit ſpirituale, ſpiritùſque corpus hoc induerit: quod philoſophi dicunt, fixum fieri volatile, tandem volatile fixum. Phyſicum certè corpus excellentiori corpore curari non poteſt, quàm metaphyſico, nec humana mens componi meliùs quàm diſpoſitione metaphyſica, poſt diuinæ gratiæ donum tamen. Ex his omnibus concludimus, ſpeculatiuam philoſophiam in ſuperatione corporis, vnione mentali facta, conſiſtere. Sed hæc vnio prima nondum facit Sophum, at mentalem Sophiæ diſcipulum tantùm: mentis cum corpore ſecunda Sophum efficit, completam illam & beatam vnionem tertiã cum vnitate prima ſperantẽ, & expectantem. Faxit Omnipotens Deus, vt tales efficiamur omnes, & ſit in omnib⁹ vnus, cuius auxilio nunc ad huius feliciſſimæ philoſophiæ primum gradum veniamus, quod ſtudium eſſe verum compertum eſt à ſinceriori-bus philoſophis, non priùs tamen, quàm recapitulatione quadam ea quæ præceſſerunt, clariùs explicentur.

*Recapitulatio primi cap.*

MEns, vt etiam fides, eſt veré donum Dei gratuitũ, ſic & virtutes omnes. Hinc non ſequitur, vt

tur,vt aliqui putant,ad eos acquirendas non esse laborandum , quia Deus ignauos & segnes non exaudit , imò potiùs earum orationes tanquam blasphemias reiicit. Magna certè foret hominum insania,panem à Deo petere,arare,quidem & serere nolle:non minor est, desiderare mentem, & expectare , nulla prorsus ad eam acquirendam adhibita diligentia. Maxima veró,si quis tam ignarus foret, vt putaret labore solo, gratia Dei non implorata priùs,hanc acquiri posse. Diligẽtes benedictione sua replet, dum salutaria petũt, negligentes Deus non exaudit , etiamsi petant, Petere verè dicitur quis no solùm ore, sed corde, vel cum affectu quid cum exigit. Quapropter antequã ad primũ philosophiæ gradum pergamus,admonendos fore discipulos putaui auxilii diuini implorationis,deinceps accuratissimæ diligentiæ, in disponendo seipsos ad huiusmodi gratiam recipiendam : De hac dispositione tantum tractatus iste differit:gratia verò petenda est desuper à datore luminũ D.O.M. Nec putet quispiam , supra me definiisse mentem,non magis quàm Paulus eisdẽ verbis, fidem à Deo solo petendam esse docet,non à propriis viribus,nec aliunde quàm ab ipso Deo. Et quia huius artificiatę dispositionis tres sunt potissimę partes,vtpote physica,moralis, & metaphysica: necessariũ fuit qualibet, hac in tractatione, via progredi: quod legentibus postea liquebit amplius. Impossibile

eſt,malæ vitæ hominem poſſidere theſaurum, ſapientiæ filiis reconditum & malè ſanum ad illum inquirendum, quandò minùs ad inueniendum,aptum eſſe. Hæc eſt ratio quare de moralibus, & phyſicis corruptis, per mentaphyſica medicamina corrigendis , loquamur . In corpore humano latet quædam ſubſtantia methaphyſica,pauciſſimis nota , quæ nullo penitus indiget medicamento, ſed ipſa medacamentum eſt incorruptum. Verùm quia phyſicorum corporum corruptionibus obruitur, & impeditur quo minùs perficiendi ſuas actiones exerceat, philoſophi diuino quodam afflatu cognouerunt hanc virtutem ; celeſtẽq; vigorem à ſuis compedibus liberari poſſe:non contrario , veluti docet phyſica medicina , ſed ſuo ſimili. Cum igitur tale quid, ſiue in homine ſiue extra ipſum inueniatur , quod huic eſt conforme ſubſtantiæ, concluſerũt ſapiẽtes , ſimilia ſimilibus eſſe corroboranda, pace potiùs , quàm bello,& contrariis eſſe pellẽdà contraria. Ex his triplcẽ patet eſſe medicinã labilium , vtpote metaphyſicam , phyſicam atque moralem. Ad phyſici corporis diſpoſitionẽ artificiatãvtimur metaphyſico remedio , quo corruptionem eius ad naturalem digeſtionem & expulſionem arceamus , hoc operante natura per formã intrinſecus roboratam. Hæc eſt prẹparatio corporis noſtri phyſici metaphyſico modo facta , per quam ad ſeparationem faciliùs perueni-

nimus abſque corrumpentium impedimento. Inde colliget ſtudioſus lector, quòd à metaphyſica per alchymiam ad phyſicam debet fieri tranſitus, operando philoſophicè. Quid enim artes in Vniuerſitatibus vel audiuiſſe vel priuatim legiſſe, niſi de potentia deducantur in actum, magis quàm pſittaco ſuũ χαίρε, prodeſt? certè nihil: quia omnis ſcientia, quæ non probatur experientiâ, non eſt ars, at hærens ignorantia. Nunc ad ſeparationem voluntariam progrediamur, quæ morali philoſophia perficitur. Completâ corporis præparatione, facilé ſeparabitur à reliquis partibus, cum eidem, quicquid præter philoſophicam neceſſitatem appetierit, ab anima, ſuaſu quidem animi vel ſpiritus, denegatum fuerit: quid philoſophica ſit neceſſitas, dicetur poſtea. Ex hac ſeparatione reſultant vnio prima, ſpiritus ſcilicet cum anima, per ſtudium philoſophiæ moralis continuatum. Erant hæc ſtudioſis proponenda priùs, vt cognoſcerent, qua ratione metaphyſica cum phyſicis & moralibus hîc miſcuerim, & quando moralia metaphyſicis, & hæc illis comparanda ſunt ac phyſicis: ne fortè ſub labyrintho hærentibus, introitum ad rem capeſcendam (vt ſolent plurimi) præſtruxiſſe videar lectoribus.

## De ſtudio philoſophico, primoq; gradu.

### CAP. II.

STudium philoſophorum eſt inquiſitio ſedula veri &neceſſarii. Verum eſt eſſe, à quo nihil abeſſe, cuique nil adeſſe, multoque minùs obeſſe poteſt. Neceſſarium, id omne quo carere non poſſumus. Veritas itaq; ſumma virtus eſt, ac inexpugnabile caſtrum, pauciſſimis inhærentibus amicis, at innumeris obſeſſum inimicis, paulò minùs quàm toti mundo nũc inuiſum, ſed inſuperabile pignus iis, qui poſſident illud. Hac in arce verus & indubitatus philoſophorum lapis & theſaurus continetur, qui non eroſus à tineis, nec perfoſſus à furibus, manet in æternũ cæteris diſſolutis omnibus, multis in ruinam poſitus aliis ad ſalutem. Hęc eſt res vulgo viliſſima, ſpreta plurimùm, & exoſa, nõ tamen odibilis, at amabilis, & precioſa philoſophis ſupra gemmas, & aurum obrizon: omnium amatrix, omnibus fermè inimica, vbiq; reperibilis, & à pauciſſimis quaſi nullis, inuenta, per vicos acclamans omnibus: Venite ad me omnes qui quæritis, & ego vos ducam in veram ſemitam. Hæc eſt res illa tantùm à veris prædicata philoſophis, quæ vincit omnia, nec ab vlla re vincitur, corpus, & cor omne durum & ſolidum penetrans, ac omne molle conſolidans, & ab omni duro reſiſtendum confirmans. Nobis omnibus ſe facit obuiam, & non videmus eam, vociferans & alta voce dicens, Ego ſum via veritatis,

tatis, transite per me: quia non est alius ad vitam transitus, & nolumus eam audire. Odorem suauitatis emittit, sed non percipimus eum. Dapibus sese uobis liberaliter in suauitatem offert in dies, & non degustamus eam. Blandè nos ad salutem trahit, & eius tractui resistentes, sentire nolumus. Quoniam facti sumus sicut lapides, oculos habentes & non videntes, aures habentes & non audientes, nares non olfacientes habentes, ore linguaque muniti, non degustantes neque loquentes, manibus & pedibus nil operantes nec ambulentes. O miserum tale genus hominum, quod lapidibus non est præstantius, imò longè inferius eo, quòd hoc non illi, rationem daturi sunt operationē suarum! Transmutemini (inquit) transmutemini de lapidib⁹ mortuis in viuos lapides philosophicos. Ego sum vera medicina, corrigens & transmutans id quod non est ampliùs, in id quod fuit ante corruptionem, ac in melius, & id quod non est, in id quod esse debet. Ecce præ foribus cōscientię vestrę sum noctes ac dies pulsans, & nō aperitis mihi? tamen expecto mitis, nec à vobis irata recedo, sed patiens iniurias sustineo vestras, cupiens per patientiam ad eam exhortando vos, ducere. Venite iterum, atque sæpiùs iterum venite, qui sapientiam quæritis, & emite gratis, non auro nec argento, minùs laboribus propriis, quod offertur vobis vltro. Sonora vox, suauis & grata philosophantiū

auribus. O fons diuitiarum inexhauſtibilis veritatem & iuſtitiam ſitientibus! O deſolatorum imperfectioni ſolatium! Quid vltra quæritis mortales anxii? cur infinitis animos veſtros curis exagitatis miſeri? quæ veſtra vos excæcat dementia quæſo? cùm in vobis, non ex vobis ſit omne quod extra vos, non apud vos quæritis. Proprium hoc ſolet eſſe vulgi vitium, vt propria contemnens, aliena quæ ſunt, ſemper appetat: proprium hîc pro nobis appropriato ſumimus, nam ex nobis ipſis nihil habemus boni, ſed ſi quid habere boni poſſumus, ab eo qui ſolus eſt bonus ferimus acceptum: econtra quod habemus mali, nobis ipſi nos appropriauimus ex alieno malo, per inobedientiam. Proprium ergo nihil homini eſt ex ſuo, præterquam malum quod poſſidet: quod ex bono bonum habet, non ex ſeipſo, ſed contributè proprium habet, ex bono, cùm recipit tamen. Lucet in nobis (licet obſcurè) vita lux hominum tanquam in tenebris, quę non ex nobis eſt, & tamen quærenda eſt in, & non à nobis, ſed ab eo cuius eſt: Hic illam plantauit in nobis, vt in eius lumine, qui lucem inhabitat inacceſſibilem, videremus lumen, & hoc cæteras eius præcelleremus creaturas: illi ſimiles hac ratione facti, quòd ſcintillam ſui luminis dederit nobis. Eſt igitur veritas non in nobis quærenda, ſed in imagine Dei quæ in nobis eſt. Vlteriùs, vt definitioni veri faciamus ſatis, dicimus eſſe

esse verò nihil adesse, nam vni quid adest quæso, quid etiam deest, aut quid contrà niti potest? cùm nihil verè præter illud vnum existit. Quis ignorat perfectum esse nil præter id vnum, quod nec in aliquo diminutum est, nec superflui quid admittit: sed abundans est potentia & virtute, sic vt ex abundantia tribuere possit deficientibus, & semper æqualiter abundare. Quid enim tale potest esse, præter id solum quod omni dat esse quod est, & esse non recipit ab alio? sed ipsum esse totum est, quod esse potest, cui nihil obest, quia præter ipsum nihil est. Quod nihil est, verè non est, & econtra, quod verè non est, nihil est. Quicquid extra veritatem est, verè non est: quia veritas illud vnum est omne verè quod est. Falsitas igitur quæ non est, nisi quod esse vero contrarium est, & esse non debet, nec nisi per essentiæ veræ priuationem est, nihil est: quia verè non est. Vnde concludunt veri philosophi, peccatum & mortem nihil esse, quia non procedunt ab esse vero, sed ab essentiæ veræ priuatione. Peccatum igitur est priuatio boni, quæ causa mortis efficiens est: quia mors est priuatio vitæ, quæ vita, boni finis est. Ex bono quidem veritatis stimulus resultat, cui non præualebunt aculei mortis, & contra quem, cuique quantumcunque duro durum est calcitrare. Quicunque veritati quidpiam adiicere vellet, falsum pro vero palliatione quadam substituere cogeretur, ideo quòd veritas

perfectionis amictu ſolo circumfulta non veretur. Quod ſi noſter primus ille parens amictum hunc iuſtitiæ non exuiſſet, veritus non fuiſſet videri nudus, qualis antea non videbatur, nec erat, ſed omni decore munitus. Priuatus igitur Adam veritatis amictu perenni, falſum quæſiuit palliũ à frondibus arborum, quo faſſus in ſeipſo ſuum errorem, & coram Domino dixit: Nudus ſum Domine, cuius miſertus Deus, quòd veritatem amiſiſſe vereretur & fateretur pro terrenæ felicitatis amictu perdito, perennis glóriæ veſtem nuptialem gratis illi reſtituere ſtatuit, per proprium filiũ: qui veritatis viam ſe nobis ac vitam eſſe dixit, & oſtendit, cum ſua morte, mortem à nobis perpetuam, qua dignè plecti debebamus omnes, abſtulit. Videte fratres igitur, quantus ſit veritatis effectus, vt erga ſuos inimicos, modò recognoſcant eam, ſit benefica placidaque. Cum Adamo peccauimus omnes, at pauciſſimi ſunt, & ferè nulli, qui cum eo nuditatem ſuam apertè fateantur, imò potius quiſque quoque cupit videri nedum, ſed eſſe perfectior, licet omnium ipſe ſit imperfectiſſimus, & byſſo purpuraque palliatus maximè nudus. Vitium hoc hæreditauimus à primi parẽtis appetitu primo, quod caro noſtra præ cæteris maximè, iure vel iniuria ſapere, poſſidere, vel honorari deſideret: quod potiſſimùm hoc ſæculo hominum eſt ſtudium exitioſiſſimũ. Veritas iterum nulli potentię ſubiicitur, vel mũ-

danæ

danæ fortitudini, quapropter ei nihil obeſt, nam ipſamet eſt fortitudo vera, potentiam totius mundi ſuperans. Quòd ſi corpus veritatem poſſidentis in mille fruſta ſecetur, nil patitur animus eius: at in eo martyrio gaudet. Hæc eſt veritatis potentia, quam pauci ſunt adepti, ſed infrà latius audietis eius excellentiam. Nunc dicemus vlteriùs, quas proprietates habeat veritas, pietatem ſcil. cùm iuſtitia iunctam inſeparabili nexu. Eſt enim pietas gratia diuinitùs data, quæ docet vnumquenq; ſe verè cognoſcere. Iuſtitia quidem retributio cuiuſq; cuiq; quod ſuum eſt, eſſe dicitur: quicunq; virtutes has poſſidet, omnium eſt ditiſſimus. Sciendũ eſt etiam hoc loco, pietatem operari pacem & miſericordiam, de quibus ſuo loco dicetur. Reſtat nunc vt philoſophici ſtudii partem alteram intueamur, quæ neceſſitas eſt. Victu quidem & amictu carere nõ poſſumus, ergo nobis ſunt neceſſarii. Deliciis in cibo potuq́;, veſtiũ quoq; luxu byſſino, coccineo, purpureóve carere quiuis (etiam qui habet) poteſt, ergo non ſunt hæc neceſſaria. Pauci ſunt qui neceſſitatem obſcurant philoſophicam, vulgarem quis non, vel idiota quiuis, inuitè ſuſtinet, eoq́; ſolo carere cupit, quod aſſequi non poteſt? Iudicat omnia vulgus ſuperficialiter ſecundùm apparentiam, ſecundùm profunditatem ſunt qui iudicant ferè nulli: hinc fit quòd veritas exoſa ſit, cum ſub lacero cortice prodit in lucem. Plus poſſunt

nunc ſplendida veſtis,& armillæ, torques & monilia, quàm ipſa veritas & ſapientia. Quid mirum, cùm ſapientia ſumma mundo ſtultitia facta ſit,hæc verò ſapientia: teſtantur ſcripturæ ſacræ. Veritas ipſa Chriſtus ac ſapientia tollitur à mundi ſapientibus:quia ex mundo non eſt,attamen ſuperat mundum; Barabas verò latro potiùs eligitur,quia fuit ex mundo vitioſus.Cur miramur itaque, ſi mundus verarum artium profeſſores (cùm veritatem ipſam ſit perſequutus) tanquam venenum abhorret? quod ipſi gentiles mundi ſequaces apertè fatentur, cum veritatem odium, & obſequium amicos parere dicunt: hac ſua doctrina videntur hominibus ambitionem perſuadere velle magis, quàm virtutem & veritatem: Hæc dico, quia ſi nunc in lucem adferatur hoc ferreo ſæculo quid, ex veris & indubitatis Philoſophiæ veræ fontibus, quod in vtilitatem faciat reipublicæ: ſi non ſit Ethnicorum ac gentilium doctrinæ conſonum, ab his reiicitur, qui ſuccum illius hauſere ſtudii, quod inanis illa philoſophorum ſchola commenta eſt. Dicite quæſo viri iudicioſi, quî poteſt fieri, vt *Gentilis* carens omnino lumine vero, lumen adferat aliis. Humanam habuerunt ſapientiam & mundanam, quæ ſtultitia reputatur apud Deum, quia ex Deo non eſt, & tamen parens omnis filium torquet ad eam addiſcendum per mediam ætatem. Poſtmodum ſi talem contingat Philoſophum

phum ementitum cum vero ſpeculatiuo conferre Sopho, mox erumpit in conuitia, contemnēs omne bonum ac verum quod à ſuo pædagogo non audiuerit: tanquam nihil boni veriſque foret præter id quod à Gentilibus veritatem ignorantibus proceſſiſſet. Plus enim poteſt ſpeculatiua Mens adiuta vero lumine veritatis, vnico tantùm anno vel momento conſequi, quàm aſſiduus & improbus labor totius æui hominis, abſq; lumine quærentis lumen ab his, qui luce carent omni. Sed videamus quænam ſit doctrina gentilium philoſophorum. Summum bonum ponunt bene viuere, quod in honeſtum partiuntur & vtile. Honorum ambitionem & laudes maximè reputant honeſtas: denique diuitiarum partum & conſeruationem quocunque iure vel iniuria, bello, vel ſudore facta, vocant vtilia: ex quibus poſt mortē aliud nihil expectant, quàm poſteritati memoriā ſui, famamque reliquiſſe: Reſurrectionem partim ita negantes, partim ignorantes, poëmatum mille nugas præter veritatē, cuius quidem expertes fuerunt, effingunt in hominum, & ſuiipſius perpetuum exitium. Ecce propter quam doctrinam oportet verarum artium profeſſores his exoſos eſſe maximè, qui de quibuſuis artibus & facultatibus plus reportaſſe nomen gerunt. Tametſi veritatem ob oculos ponat experientia, niſi per inexpertas opiniones eorum, qui veritatem nunquam ſunt experti, ſit



BSB MÜNCHEN

comprobatum, pro falso verum obiicitur, & maximo clamore fatuus æstimatur, qui veritatem profiteri velit. Quod si quis etiam vanos authores meritò detestetur, mox eorum discipuli minantur in Vniuersitatibus, tales vel afficere supplicio, vel dedecore summo, quod equitationem asini vocant: interim non vident ipsi, quod eorum sit solatium per vicos indies asinos equitare, quibus alios dedecore conantur afficere. Quid tandem subticebitur veritas, quia, sicuti docent gentiles, odium parit? minimè, sed potiùs obire mortem philosophum docet, quàm negare veritatem. In omnibus est obseruanda veritas, vt summum apud Christianos bonum: beati quibus datum est cœlitus in ea perseuerare in finem vsque, quod pauciſſimis (hei miserum) contingit. Rogemus Deum vt huius solius nos faciat participes. Concludendum igitur, solam veritatem expetendam, solicitéque fore quærendam in omnibus: ad cuius fastigium vlteriùs quî saliendum sit, audite.

*Recapitulatio primi gradus, & secundi capituli.*

PHilosophi studium suum in inquisitione veritatis, per opiniones rationi consonas, dirigunt, in his quæ sensum fugiunt: at, Chymistarum studium est, in sensualibus insensualem illam veritatem à suis compedibus liberare, per quam cœlestes virtutes subtili admodum venē-

tur inge-

turingenio. Quicunque chymicam artem addiſcere vult, philoſophiam, non Ariſtotelicam, ſed eam quæ veritatem docet, addiſcat oportet. Dicet quiſpiam Ariſtotelis diſcipulus, an Ariſtotelem faciam mendacem? nõ ego, ſed ipſe ſe: nam eius doctrina tota conſiſtit in amphibologia, quæ mendaciorum optimum eſt pallium. Cum ipſe Platonem, & reliquos reprehendiſſet, quærendæ famæ gratia, nullum potuit commodius inſtrumentũ reperiſſe, quàm idem, quo in reprehendendo fuerat vſus, amphibologico ſermone ſcilicet, ſcripta ſua contra ſiniſtram oppugnantẽ, dextro ſubterfugio ſaluans, & econtra: quod Sophiſmatis genus in omnibus eius ſcriptis videre licet: quæ etiam à quouis mediocriter docto in vtranque partem interpretari poſſunt. Hoc ſemper fuit Sophiſtarum ſtudium, vt quædam ſubterfugia molirentur, quibus iam victi, ſuas tegere falſitates poſſent, ad eaq; tanquam ad ſacram anchorã periclinantes confugerent, vt eſt aſinorũ ille clypeus, Contra negantẽ principia (inquiunt) non eſt diſputandum: non ſine cauſa propugnaculũ hoc extruxerunt; nam artes eorũ ex falſis conſtabant principiis. Non meliùs contra Sophiſtas agendũ eſt quàm ſua principia perſpicaciſſimè nũ falſa ſint, examinando: hoc retilitio quemuis malè cautũ irretire conantur. Sed miſſa faciam⁹ hæc, donec diſputandũ ſit, ſcriptisq; probandũ vlteriùs: ad ſtudium chymicũ redeamus.

Veritas in arce chymica per manualem practicã & Pyromantiam, ſeparatione partium á ſuo toto facta, quæritur, quod ſtudium Alchymiſtarum eſt.

## *De ſecundo gradu philoſophorum, qui dicitur Cognitio.* CAP. III.

COgnitio eſt opinionum de veritate quorumuis conceptarum, per experientiam certa & indubitata reſolutio. Opinio, veritatis eſt in animo hærens & dubia præſumptio. Experientia veritatis eſt manifeſta demonſtratio. Reſolutio quidem eſt dubii depoſitio. Non poſſumus de quouis dubio aliter certi fieri quàm experiendo, nec meliùs quàm in nobis ipſis. Quapropter id quod de veritate ſuprà diximus, verificemus, á nobis facientes exordium. Diximus ſuprà, Pietatem in cognitione ſuiipſius conſiſtere. hinc fit vt ab ipſa cognitionem philoſophicam incipiamus. Nemo verè poteſt cognoſcere ſe, niſi ſciat quid, & non quis ipſe ſit, à quo dependet, vel cuius ſit (nam ſui iuris ſecundùm veritatis legem eſt nemo) & in quem finem factus ſit. His cognitis incipit Pietas, quæ circa duo verſatur, vtpote Creatorem, & creaturam ſui ſimilem: impoſſibile eſt creaturam à ſeipſa ſe cognoſcere, niſi priùs cognito ſuo Creatore. Quî poteſt effectus ante cauſam cognoſci, nónne præcedit omne principium ſua medium & finem, vel à fine rem aggredietur quiſpiam?

Deus

Deus eſt ſine principio & fine, per ſe perſiſtens, omni repletus gloria, quam ſolus ex propria liberalitate poſſidere noluit, ſed eius nos facere participes, quos ad imaginem ſuam condidit: primum liberalitatis eius exemplar, & myſterium. Quî fit igitur vt admirandum illud Arcanum ignoremus ex veritate? Audi frater, ſicut à precioſiſſimo de viliſſimo creati ſumus, ita propter materiam ex qua facti, ſumus ad vile quoduis proni magis, quàm ad id quod nos de vili precioſiſſimos poſt ſe fecit: imò potiores angelis, ſi manſiſſemus in tali dignitatis gradu. Admiremini quotquot mecum eſtis mortales miſeri, quòd ſummus rerum artifex viliſſimam de limo terræ materiã contrectare manibus voluerit, & ex ea precioſiſſimã excitare creaturam: non abs re factum putemus, ſed vt agnoſcamus quidnã ſimus, & ab elationis ſuperbia nos contineamus: quod ſecus facientes, nemo noſtrũ nõ pauperẽ quem Deus elegit, odit, cùm tamen ex eadem maſſa, ex qua facti ſumus omnes, conſtet: hinc fit, vt perſonarum non ſit acceptor Deus, ſed paupertatis & humilitatis amator, & inimicus elatæ ſuperbiæ. Nemo creatorem poterit meliùs cognoſcere, quàm ex creatura, ſicut ex opere noſcitur artifex. Videamus igitur quis ille ſit, qui de viliſſimo poteſt excitare precioſiſſimũ, nullus certè prẹter eum qui creauit vtrunq;. Nullo modo pincerna poteſt vinum in aquã permu-

tare,tamen id poteſt qui vinum & aquam creauit: maius , cùm terram in animam viuentem tranſmutauit, fecit, & quod maximũ eſt,ſupremo beatitudinis dono,ſcilicet imagine ſimilitudineque ſuis,dotauit : per eas datum eſt omnibus ſaluos fieri , qui donum hoc recipiunt, ſed nolentibus accipere gratis quid dabitur?certè nihil: habeant igitur illi quod ſuum eſt, vt ſeruetur iuſtitiæ locus. Proprium cuique ſuum eſt, quod elegit á principio,damnatio ſcilicet. Gratuitum eſt æternæ ſalutis donum , his qui cum gratiarum actione recipiunt illud. Cùm itaque pretium vile carumq; ſimus, videat quiſque noſtrum,quid potius optet: res intelligentibus per ſe clarior eſt , quàm illius elucidatione ſit opus. Scimus vile quód ſumus , & præſtantiſſimum à quo proceſſimus : reſtat in hoc negotio perpendamus,quare,vel in quem finem facti fuerimus. Creauit omnipotens Deus primum hominem Adamũ ad imaginẽ & ſimilitudinẽ ſuam.vt ipſi Deo foret in ęternum ad gloriam, & immortalis eſſet,non anxius,nullius indigus, ſemper in Deo gaudens,terrenis paſſionibus non ſubiectus. Verùm quia tantum munus non agnouit, vilifecit: cognouit tamẽ quòd perfectus factus eſſet & ſapiens,at in ea cognitione non permanſit. Conſideremus ergò quantũ boni cognitio, quantumque mali huius muneris & verbi Dei vilipendiũ attulerit,cùm ex immortali perpetuò reddiderit

mori-

moribundũ. nam qui moritur in æternũ, & ſemper in agone mortis degit, & nunquam deſinit mori: hinc fit, vt perpetua dicatur illa mors, veluti vita dicitur æterna, qua Deo viuemus in æternum, & nunquam ſinemus viuere. Cùm igitur primus parens vnà ſecum nos omnes Deo rebelles feciſſet, ac inimicos, miſeritordia motus omnipotens Deus, pacem inire nobiſcum induratis voluit, qui pacis eſt author. Quis erit lapideus ille, qui cùm diuinæ bonitatis hoc myſterium animo reuoluerit, cum inimico ſuo, licet iuriã ab eo receperit, non reconcilietur? Quî tandẽ fit, quòd inimicorũ inter mortales neuter offendẽs, vel offenſã paſſus, alterũ aggredi velit recõciliationis ergò. Certè non alia de cauſa, quàm quòd nemo ſeipſum, & per cõſequens, nec Deum creatorem ſuum, nec proximam æquipollentem creaturam cognouit: quo fit, vt pacem non amplectatur is qui eam ignorat. Eſt enim pax miſericordiæ radix. nam qui pacem non habet, miſericordiam nõ exercebit, nec etiam aſſequetur, donec habeat. Non eſt quòd hoc loco pacẽ & miſericordiã confundamus; quia pax eſt miſericordię cauſa, veluti pacis eſt ipſa pietas. Pacem ergo ſi cum Deo habuerimus per pietatis cognitionẽ, pariter eam cum proximo, tam inimico quàm amico, neceſſariò ſumus habituri. Maximè cùm conſiderabimus, quòd ſummus ille rerũ artifex vermiculo diaboli mancipio, per pacis amplexũ

ſuæ miſericordiam fecerit. O miſeri mortales, quotquot miſericordiam expectamus à Deo, coram quo miſeriam non agnoſcimus! Vnde quęſo Miſericordia, quàm ex miſeriæ confeſſione, per cordis contritionem in emendationem facta? Quod ſi demum noſtram fratrumque noſtrorum miſeriam non ignorabimus, at pari compenſabimus pondere, ſæculi bonis huius opimiores facti, diuitiarũ æternarum nos abundantiores non exiſtimabimus illis, qui prorſus opibus mundi deſtituti ſunt. Quis mortales inter hoc verè conſiderat, bonorumque ſibi ſolùm in hoc mundo concreditorum communione, fratrem egenum non ſolabitur? da tu conſiderantem, & ego tibi mox oſtendam qui tale diuinum arcanum agnoſcat. In his omnibus Deus ſuum erga nos amorem ſatis adhuc explicuiſſe noluit. Verùm ſua nos accuſante Iuſtitia, cui nihil diminutum eſſe poteſt vnquam, non magis quàm eius miſericordię, nobis potius quàm proprio filio parcere voluit, in quo Pax & Iuſtitia ſimul oſculatæ ſunt? Quare igitur non oſculamur nos in Chriſto fratres facti pares, cùm nos miſeros vermiculos ſummus rerum oſculetur artifex, & in filio ſuo vnigenito præſtantiſſimas facit creaturas de viliſſimis proprio malo factis? Quotquot Deum agnoſcunt in filio, pariter & filium in patre per Spiritum ſanctum: cui non reluctantur, fratrem etiam agnoſcunt, & non alii.

Hæc

Hæc ſunt vera & indubitata veræ philoſophiæ fundamenta: ſed quia nondum ab omnibus cognita ſunt, licet audita multis, adhuc in aliquorum non bene reſolutorum animis poſſet hærere dubium, an imaginatio prædictorum veritatis amorem in nobis excitare queat: operæpretium illis fuerit, ambiguitatem hanc, experimento per ſe ipſos & in ſeipſis facto, deponere hunc in modum, qui ſequitur. Conſideret vnusquiſque penes ſe diligenter ea quæ ſuperius dicta ſunt, deguſtataque ſæpiùs ruminet animo ſincero: ſic paulatim ſcintillas aliquot magis ac magis indies perlucere ſuis oculis mentalibus percipiet, ac in tantam excreſcere lucem, vt ſucceſſiuo tempore quæuis innoteſcant, quæ ſibi neceſſaria fuerint, nec ampliùs in veritate quouis hærebit modo: ſed pietatis exercitio, iuſtitiæque paulatim aſſueſcens, ritu viaque præmiſſis, animi trãquillitatem ſentiet, qua tandem allectus intelliget, maiorem in animo delectationẽ eſſe, quàm in corpore. Non priùs incipit vera cognitio, quàm perennium & labilium, cùm vitæ, tum interitus oblata comparatione, ſelegat Animam cum animo iungi, delectatione maiori tracta huius, quàm Corporis. Ex ea cognitione Mens oritur, & corporis voluntaria ſeparatio ſumit exordium, cùm anima reſpiciens ex vna corporis fœditatem & interitum, ex altera parte præſtantiam & felicitatem animi perpetuam, cum iſta

(diuino ſic diſponente flatu) connecti cupit, altero penitus neglecto, vt hoc ſolum appetat, quod à Deo concluſum eſſe videt in ſalutem & gloriam: Corpus in amborum iam vnitorum vnionem condeſcendere cogitur. Hæc eſt admirabilis illa Philoſophorum tranſmutatio corporis in ſpiritum, & huius in corpus, de qua dictum nobis relinquitur à Sapientibus: fac fixum volatile, & volatile fac fixũ, vt habeas magiſterium noſtrum (intellige) fac de pertinaci corpore tractabile, quod animi præſtantia cum anima conueniẽte conſtantiſſimũ fiat corpus ad omnia ſuſtinendũ examina. Probatur enim aurum igne, quo reprobatur omne quod aurum non eſt. O præſtantiſſimum philoſophorũ aurum, quo ditantur ſapientię filii, nõ illo quod cupitur! Adeſte qui theſaurũ philoſophorũ tam vario conatu quęritis, reprobatũ à vobis lapidẽ cognoſcite priùs quis ille ſit, antequã quęratis. Mirum eſt ſuper omne miraculum, quòd quiſpiam appetat ignotum ſibi: fatuum certè videtur id ab hominibus quæri, cuius veritatem nõ norunt inueſtigantes, quia nihil in eo ſpei relinquitur. Suadeo quibuſuis ergo perquirentibus, vt cognoſcãt priùs eius quod quærunt veram exiſtentiam, antequam quærant: ſic eos laboribus fruſtrari non continget. Sapiens quærit quod amat, nec amare poteſt quod non cognoſcit, alioquin inſipiens eſſet. Ex cognitione igitur natus eſt amor omnium veritas,

tas, quæ ſola viget in omnib⁹ veris philoſophis.

*Recapitulatio ſecundi gradus.* CAP. III.

NOn eſt quòd quiſpiam putet, me hîc theologica tractare velle, ſed talia quæ ruſticum & pueros latere non debent: ex quibus tamen altiùs quàm litera ſonat repetitis, omnem ſcientiam & artem in omnibus, tam cœleſtibus quàm prophanis rebus hauriunt Sapientiæ filii. Fruſtra laboratis omnes abditorum Naturæ ſecretorum indagatores, cùm aliam ingreſſi viam, terrenorũ virtutes per terrena detegere conamini. Diſcite igitur cœlum per cœlum, non per terram, ſed huius, per illius, virtutes cognoſcere. Nemo enim aſcendit in Cœlum quod quæritis, niſi qui de Cœlo (quod non quæritis) deſcendit, illuminet eum. Incorruptibilem quæritis medicinam, quę corpora nedum à corruptione tranſmutet in verum temperamentũ, ſed etiam temperata diutiſſimè conſeruet: talẽ alibi quàm in cœlo reperire nõ poteritis vnquam. Cœlum, virtute ſua, per inuiſibiles radios in terrę centrum vndiq; cõcurrentes, omnia penetrat elementa, & elementata generat fouetque. Nemo in ſeipſo, ſed in ſui ſimili, quod etiam ex ipſo ſit, generare poteſt. Fœtus etiam promiſcuus vtriuſq, parẽtis in ſe naturam ita retinet, vt in eo parens vterque potentia & actu ſit reperibilis. Quis hærebit ampliùs, niſi lapis, in generatione philoſophica. Si cognitio hæc adhuc tibi nõ ſuffecerit amice lector, cùm ca

quæ data eſt in Claue noſtra, non eſt quòd tecum agam latiùs. Verùm ne tibi de me conquerendi maneat anſa, dicam vlteriùs. Diſce ex teipſo, quicquid eſt & in cœlo & in terra, cognoſcere, vt ſapiens fias in omnibus. Ignoras cœlum & elementa priùs vnum fuiſſe, diuino quoque abinuicem artificio ſeparata, vt & te & omnia generare poſſent? Si hoc noſti, reliquum & te fugere non poteſt, aut ingenio cares omni. Rurſus in omni generatione, ſeparatio talis eſt neceſſaria, qualem de te ſuprà dixi fiendam, antequam ad veræ philoſophiæ ſtudia velum applices. Ex aliis nunquam vnum facies quod quæris, niſi priùs ex teipſo fiat vnum quod audiſti, latiusque audies in ſequentibus: nam talis eſt voluntas Dei, vt pii pium conſequantur opus quod quærunt, & perfecti perficiant aliud cui fuerint intenti. Malæ voluntatis hominibus nihil præter quod ſeminauerint datur metere: imò quod magis eſt, perſæpe bonum eorum ſemen in lolium, propter eorum malitiam, conuertitur. Fac igitur vt talis euadas, quale tuum eſſe vis quod quæſieris opus.

## *De tertio gradu philoſophico.* CAP. IIII.

AMor philoſophicus dicitur ſecretorum ab vno, rurſus in vnum per pacem vnio. Pax verò per vnionem partium in toto concordia. Vnionem apprimè diligit Deus, quia vnus eſt & quicquid

quid creauit vnquam, ſub vnione concluſit. Ab vno determinato, per vnum indefinitum facto, procedunt omnia quæ finita ſunt, ac rurſus ad vnum ſuum inſtinctu naturali quæque tendunt: à quo ſi quæpiam declinarint, à philoſophis ſub ſecreto binario contineri cenſentur, & per ternarium ad vnionem reduci debere. Creauit Deus cœlum & terram: ac omnia quæ in eis ſunt, occulto modo ſimul vnita, manifeſto ſecreta. Sub appellatione terræ concluduntur Elementa, quæ continentur à cœlo, taliq; fœderis complectuntur amore, qualem inter alias creaturas vix videre licet. Animalia bruta quæque bina ſeſe diuino prorſus ordine coniungentia videmus ſinceriori vinculo, quæ purioribus conſtant elementis, vt ſunt volatilia, reliqua minùs cõueniunt pro materiæ de qua ſunt conflata puritate minori, tamen coniunguntur, licet promiſcuè magis. Ad præſtantiſſimam creaturam deueniamus ex viliſſimo creatam, vtpote hominem, quem de limo terræ creauit Deus, animal per ſe mobile, quod inde mox ſpiritu rationali vnum fecit: occaſione qua mouetur ſola, cæteris animantibus irregularius eſſe quis non percipit? qua quidem verum eſt & rationale factum, excellentius inter opera Dei nullũ eſſe poteſt. Ab hoc ſcilicet homine, cùm adhùc in excellentiſſimo ſtatu foret ante lapſum, ſecreuit Deus fœminam, os ab oſſibus eius, & de carne carnem eius, vt firmiùs cæteris.

animantibus vnirentur: non dicuntur vniri, nisi quæ fuerint ab vno semoti priùs, sed coniungi tantùm. Cùm igitur in seipso non posset, in altero gignere fuit necesse. Hac de causa præ cæteris humana generatio reuerenda est, quia fit inter duos qui priùs vnum fuerunt, & iterum vnum diuino matrimonio facti sunt: testante scriptura, Et erunt duo in carne vna, quorum vterque propter alterum relinquet patrem & matrem, & adhęrebit alteri suæ parti. Non est aliter existimandum, quàm vxoris maritum, & huius illam esse alteram corporis sui partem inseparabilem: cùm viderimus eos aliter se gerentes, iudicabimus illos non vnitos, sed coniunctos tantùm esse, non amore vero, sed vel turpis lucri, vel illiciti potiùs appetitus extinguendi causa, cuius ignis cùm refrixerit, frigent omnia simul. Non talis est amor philosophicus: nam inextinguibili prorsus accensus igne, non extinguitur: quicunq; per spiritum vniuntur spiritus, in vnione manent; quæ verò per corpus iuncta sunt, de facili soluuntur corpora. Est & parentum erga natos, & horum erga parentes proprius amor, qui philosophico nullo modo comparari potest: nam pro gnato pater, nec pro parente filius, minùs pro fratre vel sorore soror aut frater, vel quispiam amicus, vel minimæ suæ iunctuę pati iacturam nollet. Quis ille qui pro seipso mortem obire libenter, quanto minùs pro quopiam alio velit? Vbi tandem quæ-

quærendus ? Certè non alibi quàm vnde proceſſit amor. Sic Deus dilexit mundum (intelli-ge hominem ) vt proprium filium naſci voluerit hominem, qui pro hominibus mori, morteque ſua iuſtitiæ, qua nos plecti debebamus, mortem perſoluere poſſet. Non potuit enim filius Dei mori, ſed homo factus, mortuus eſt perfectus homo filius hominis, iuſtusque iuſtitiam compleuit. O admirandus amor Dei erga homines! Non ex Ariſtotelis inani philoſophia, nec reliquorum mundi Sapientum huius, tam felices vndæ manant, quas ( dum nos illa vanis attentos ſtudiis detinet ) præterimus ô miſeri ſodales : ad aliam animos noſtros philoſophiam vocat amor iſte diuinus.

*Colloquium quo conatur Animus Animam & Corpus ad ſe trahere. Interlocutores ſunt Spiritus, Anima, Corpus, & Philoſophia amoris, his literis deſignati: S. A. C. & Ph.*

S. AGite dum igitur anima mea, corpusq; meum, ſurgite nunc, animum ſequamini veſtrum. Aſcendamus in montem excelſum hunc nobis oppoſitum, de cuius cacumine vobis oſtendam iter hoc biuiũ, de quo per nubem & ſine lumine loquutus eſt Pythagoras. Nobis aperti ſunt oculi, tum prælucet Sol pietatis & iuſtitiæ, quo duce non poſſumus à via veritatis deflectere. Voluite primùm oculos ad dextram, ne vide-

ant vanitatem, antequam ſapientiam percepe-
rint. Videtísne relucens illud & inexpugnabile
caſtrum? A. & C. Videmus. S. In eo ſe continet
Philoſophicus amor, de cuius fonte fluunt aquæ
viuæ, quas qui deguſtarit ſemel, non ſitiet vani-
tatem ampliùs. Ab eo loco tam amœno ſuauiq;,
rectâ progrediendum eſt ad amœniorem, in quo
Sophia moram trahit: de cuius etiam fonte ſca-
turiunt aquæ primis longè feliciores, quas qui
guſtarint inimici, pacem eos inire neceſſe eſt: eo-
rum qui deueniunt eò, pleriq; ſolent altiùs ten-
dere, ſed non omnes optatum aſſequuntur. Eſt
locus vltra dictos, quem adire vix licet mortali-
bus, niſi per diuinum numen ad immortalitatis
gradũ aſſumti ſint: at antequam introducantur,
mundum coguntur exuere, caducæ vitæ ſpolio
retento: non eſt eò cùm peruenerint, quòd am-
pliùs mortem timeant, imò potiùs eam indies
amplectantur ſuauiùs, quàm in mundo quid vn-
quam ſuaue iudicatum eſt eis amplexu dignum.
Vltra hæc tria loca quicunque progrediuntur, ab
hominum oculis euaneſcunt. Quòd ſi ſecun-
dum & tertium locos videre lubet, aſcendamus
altiùs. En ſupra cryſtallinam primam arcem, ali-
am argenteam videtis, vltra quam & tertiam a-
damantinam, quarta verò nõ cadit ſub ſenſum,
donec vltra tertiam deuentum ſit. Hic eſt aureus
perpetuæ felicitatis locus, ſolicitudinis expers,
& omni repletus gaudio perenni. Nunc ad ſini-

ſtram

ſtram deflectamus oculos. En videtis mundum voluptatibus & diuitiis plenum, in quo nihil oculo caduco diſplicere poteſt, at huius peregrinationis videamus exitum. Vallem obſcuram fuliginoſa repletam caligine, ſub finem horizontis cernitis perſpicuè. A. & C. Cernimus quidem. S. Cùm ii qui latam hanc ingrediuntur viam eò peruenerint, horũ ſolatia vertuntur in tormenta, quorum nullus eſt finis: quòd ſi velitis aurem attentiùs præbere, poteſtis hinc vlulatum percipere, niſi vos impediat eorum gaudii rumor, qui tam anxiè tendunt in ſui ruinam. A. & C. Audimus profectò, ſed quî fit, vt iſti huc non redeant? S. Quia miſeriæ vallem hanc non vident, donec poſtremam pœnitentiæ viam præterirent, poſtquam non eſt reditus. A. & C. Sunt igitur aliæ viæ per quas ab eo graui periculo deflectere poſſint? S. Imò duæ laterales tantùm, in dextram huc ad nos, vt videtis, vergentes. Nam ab hoc loco in quo iam ſumus, per primam arcem oportet omnes facere tranſitũ qui reſipiſcunt, vt quæ videtis nũc, videant ipſi. A. & C. Miramur quòd miſerię vallem non videant priùs. S. Mirum non eſt, quia plana eſt via, facilis & grata, homines allicicndo ſeducens, tum in plano quouis breuis eſt horizon: quòd ſi huc vt nos conſcendiſſent, exitum vtriuſque viæ percepiſſent. A. & C. Quo nomine vocantur? S. Lata quidem erroris, lateralium prior infirmitatis, poſterior paupertatis, &

hæc in qua ſumus, veritatis dicuntur viæ: quarumlibet in oſtio poſitus eſt angelus Domini, qui tractus diuini ſpiritus nominatur. Hic in hoc paſſu primò trahit omnes, cui tractui ſi reſtiterint miſeri mortales, laxantur habenæ pertinacibus, quos viam erroris ingreſſos adhuc exſpectat Dominus, donec aliquandiu mundanis abuſi deliciis, per propriam petulantiam incidant in corporis infirmitates, nec immeritò, per quod in errorem tracti fuerant. Pauciſſimi quibus errorem ſuum agnoſcere contingit, per priorem reſipiſcentiæ viam ad locum hunc redeunt. Reliqua pars maxima, cum his qui primo non reſipuerunt loco, pertinax vlteriùs progreditur. Nonnulli qui per infirmitatem caſtigari noluerunt, & alii qui nondum caſtigati ſunt, in paupertatem propria cauſa permittuntur incidere, ex quibus pauciſſimi pœnitentię viam poſteriorem ingrediuntur. Plurimi verò procedunt in errore cæcutientes, donec in foueam cadant, à qua ſurgere non licet. A. & C. Paucos videmus per pœnitentiæ vias redire. S. Hoc impedit corpus. C. At ego potiùs mori vellem centies, quàm latam in finem vſq; viam perficere. S. Quia vidiſti ſic loqueris, at vide ſis huius memor in poſterum. C. Quocunq; vos ieritis, promtiſſimum ſequar: ſed priuſquam diſcedamus hinc, die precor, quî factum ſit vt & nos latam non ſimus ingreſſi viam? S. Quibus cœlitus primùm domini tractum

recipere

recipere ꝺatum eſt, Deo, non ſibi, ferant acceptum. C. Trahuntur tamen omnes. S. Verum eſt, at omnes tractum non recipiunt. C. Quænam eſt huius occaſio? S. Quòd in biuio exiſtentes, oculos magis ad ſiniſtras vanitates, quám ad hunc dextrum viuentis aquæ fluuium, tam admirando fluentem artificio de montis in quo iam ſumus apice, deflectunt. C. Quod eſt monti fluminiq; nomen? S. Vtrique primus Domini tractus. C. Súntne alii tractus præter hos tres quos iam expoſuiſti? S. Plurimi ſunt inter hos medii, qui ſentiuntur ab omnibus in propria cõſcientia, ſed parui fiunt ab his qui nolunt, vt antea dictum eſt, recipere. C. Quid eſt, quod in iſto ducis admirandum fluuio? S. Vidiſti tu vel quiſpiã vnquam, de tam ſublimi loco decidentem aquæ copiam ſine ſtrepitus horrore permaximam? ignoras etiam pendentem aquam, vltra quod mundi vires omnes ſuperat, quantumuis intrepidum hominem, vel in terram martem ipſum (ſi quis ſit) excitatione ſoni ventiq; terrere poſſe, veluti plurimis in locis videri poteſt? C. Certè quibuſdam in collibus tantùm fui, de quibus aqua defluens à ponte diſtante ſatis perterrefactos & agitatos vento prætereuntes, quantumuis fortes, deiicere potuit: niſi quadam induſtria, viribusque reaſſumtis hominum viciſſent animi, tranſitumque ſibi feciſſent. S. Primus hoc loco tractus eſt admiratio fluuii, quam & aquę deguſtandæ deſideriũ,

ac eius originem viſendi maximus amor ſubſequitur: qui deguſtantem, vt ferrum adamas, huc allicit, vt quæ diſcrimina rerum ſint, videat. C. Nunquam ego per meipſum hoc conſideraſſem, etiamſi locis inferioribus contrarium accidiſſe viderim. S. Oculi tibi carnei ſunt, qui non percipiunt ea quæ mundum ſuperant: res qui ſuperficialiter, aut ex manifeſto vident, non putant aliud in rerum natura eſſe, præter id quod ſub ſenſus cadit: iſtis quotquot ſunt, huc non contingit adire, niſi ſpiritus eorum Domini tractum, ex fluminis montisque mirabili conſideratione & ſpeciali dono ſentiant, & recipiant. C. Hoc vnicum adhuc abs te ſcire cupio priuſquam diſcedamus hinc. Quid ſibi vult ad amœniſſima loca tam difficilis aditus, cùm propter itineris aſperitatem exiguitatemque, tum ob huius & fluminis protractum rectiſſimum, vt vix protenſo filo quid rectius delineari poſſit? S. Video te Corpus meum libenter hîc moram protrahere, quò diutiùs mundanis laruis, & fucatis oculos paſcas: hos te ſæpiùs (etiam ſi de dextris petas) ad ſiniſtram detorquere, mihi ſuſpicandi præbet anſam, hæc te, non tam ſciendi curioſa cupiditate, percontari, quàm quòd poſtquam hinc receſſeris, mundi conſpectu priuatum iri te videas. C. Miſſa faciamus hæc, reſponde ſaltem. S. De difficultate, qua tibi ſatisfiat, intellige primùm, ad gloriam alia quàm per crucem via, non ſecus ac

ad

ad ardua quæque quàm ſummo labore, nullus patet aditus, vt facilè partorum leuis & difficilè grauis exiſtimatio foret. Aſperitatis leuitas, vt mortis vita, non minùs quàm exiguitatis amplitudo finis eſt. Rectiuium etiam, & carens ambagibus eſſe debet omne quod in veritatis ſemitam ducit. Iam habes quod optas, nec eſt quod immoremur ampliùs, ſequere nos. C. Poſtremum hoc eſto. S. Omnia nunc audiſti quæ neceſſaria ſunt; nihil moror. C. Saltem anima tu mecum tantiſper mane. A. Nec te, nec Spiritum libenter deſererem, tacui tamen donec vtriuſque rationes audiuerim, placent quæ Spiritus loquitur, quæ tu, nihil præter moram adferunt auribus meis. C. Video me nunc victum iri miſerum. S. Verè miſerũ, ſequere nos, quò felix nobiſcum fias. C. Vtinam; at ego ſolus quid contra duos? S. Tace, poſt paucos dies ſola cum ſolo ages. C. Quid hoc audio, tu fortè nos qui dux noſter es, auios deſeres? S. Abſit, vobiſcum ero dum eritis. C. Aperias igitur quid hoc ænigmatis velit. S. Prout oculi, ſic intellectus, & omnia quę poſſides carnea ſunt. C. Fac ſaltem intelligam. S. Quid ſi quæ tibi ſunt ob oculos non percipis, ea quæ non vides cùm dixero, quî percipies? C. Supra quòd miſeris me torquet modis lapidoſum, ſtrictum, & ſpinoſum iter hoc, verbis tuis maſſam hanc per ſe grauem aggrauas. S. Non niſi ſubleuare conor. C. Sic non feceris. S. Quî factum velis?

C. Aperta loquendo. S. non didici quæ tua sunt. C. Nihil tecũ solum efficiam. Heus anima mea, quam semper charam habui, non loqueris? auxilium non præstas amico tibi fidissimo? A. Dubia sum inter vos, alterutrius partem æqualiter gero. C. Tamen spiritum quàm me sequeris libentiùs. A. Deliras omnino. C. Vtinam ego mansissem in itinere biuio. A. id feciſſes. C. Non potui præter te, qua sine nihil possum exequi. A. Nec ego præter Spiritum valeo gradum sistere: sine quo, te sine sim necesse est. C. Et tu parabolicè loqui tam breui didicisti tempore? S. Non nisi simpliciter: sed quæ nuda est oratio, sicuti tenebris inuolutum es, amphibologica, vel allegorica tibi videtur. C. Vobiscum nil effecero, tacebo, ne sicut ipsa tu dudum, vt hęc in posterum reseruares mihi. A. Nil nisi bonum. C. Spiritus te seduxit. S. Minimè verũ, at ego ipsam & te huc ad salutem duco. C. Dicis tamen. S. Credes non antea quàm videas. C. An tu me cæcũ ducis? Optimè, nec veriùs vnquam loquutus es. C. Væ intolerabile scelus, oculis mihi tu meis carere persuadebis? S. Imò docebo. C. Audiam quæso. S. Vidisti nos in radice montis Domini tractus bibere de fluuio fontis amoris? C. Non bibistis? S. Ecce iam ipsum tu cæcitatem tuam apertè fassum es. C. Cur non iussistis & me vobiscum bibere? S. Quia non poteris donec nobiscum videas. C. Quando tãdem id fiet? S. Cùm tu nobiscum vniendis vnũ fueris.

C. Rur-

C. Rurſus quando? S. Cùm ad veritatis arcem adamantinam ſimul devenerimus. C. Accelere-mus ergo, ne diutiùs videns cæcum dicar. S. En ad arcem primam appulimus, pulſabo. C. Quid opus eſt, porta caret foribus? S. Non decet pere-grinum aduenam alienos ingredi lares, non pe-tita priùs venia. Introduci nos iube quiſquis hîc imperas. Ph. Quis rarus admodum hoſpes ac-clamat? S. Tres Philoſophiæ diſcipuli. Ph. Quid hîc quæritis? S. Philoſophiam addiſcere. Ph. Ea quæ didiciſtis, iterum diſcere quid opus eſt? S. Carduos hucuſque pauimus, ad feliciores betas anhelamus. Ph. Betis implere ventrem cupitis? S. Quouis meliori quàm antea pabulo: nam quas pauimus herbas, pungentes nunc à ſini-ſtris, mox à dextris, inter dentes ſpinas reliqué-runt aſperrimas, quæ nobis eſcæ talis præbent nauſeam. Ph. Audio vos rudiorib⁹, quàm ſchola noſtra ferat, imbutos eſſe: verúm quia non ſole-mus recuſare quotquot ad nos veniunt, intro-ducemini, non priùs tamen quàm ante portam deponatis cornua. S. Præſtò ſumus iuſſis obtem-perare tuis. Ph. Moris eſt apud nos recentiores diſcipulos examinari. S. Eſto. Ph. Quid Philoſo-phia? S. Amor eſt Sophiæ. Ph. Sophia quid. S. Ve-ritatis omnium ſapientia ſumma eſt. Ph. Quid a-mor? S. Cognitæ veritatis eſt deſiderium inſatia-bile. Ph. Vnde hæc habes? S. A. Domini tractu. Ph. Per quos? S. Per eos quos docuit priùs vt docerẽt

alios. Ph. In Vniuersitatibus quid audistis? S. Aristotelis philosophiam. Ph. Quid hæc docet? S. Contentiosè rixari, pro & contrà (vt aiunt) pertinaciter argumẽtari. Ph. Pro & contra, quę Chimæra bestia est hęc? S. Sophismatum nescio quod genus, hoc nunc ad dextram, modò siniſtram in partem, instar hominis cereum habentis nasum detorquere licet, à nasutulo fortè quopiam, qui cum isto retilicio cæteros immeritò reprehendisset, vt aliorum euaderet manus, excogitatum. Ph. In quem vsum? S. Ostentationis doctrinę causa. Ph. Est igitur doctrina fallax? S. Saltem illa quam audiuim⁹, qua qui magis imbuti sunt, sapientię minus habẽt. Ph. In eo verè sapis, eos maximè sapientes esse qui circa perceptibilia minùs intelligũt. Antequam intretis huc, oportet in albũ Scholę nostræ describi nomina vestra. S. Spiritus vel animus mihi nomen est, huic Anima, tertio verò Corpus. Ph. Satis affines socii. S. Imò tres vnico partu nati fratres. Ph. Inuocato priùs vero lumine sic mecum loquamini: O Pater omnipotens, æterne Deus, Creator omnium quæ in cœlo & in terrra sunt, qui nos ad imaginem & similitudinem tuam creasti, non vt in nihilum nos redigeres, sed vt essemus tibi ad gloriam, da nobis gratiam Spiritus sancti tui, qua possimus intelligere & scire quænam sit tua voluntas, vt auxilio tuo faciamus eam, in tuoque lumine videamus lumen, & veritatem amore vero prosequentes

quentes assequamur. Amen. Ingrediminiiam ad gloriam Dei, vestriqúe salutem, Amoris philosophici portas, & gymnasium, in quo docetur amor perpetuus: Assidete dapibus, vt quisq; suis potu ciboque reficiatur. In primis Deum oremus: Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das eis cibum in suo tempore, manum tuam aperis, & reples omne quod viuit benedictione. Non ex solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Domini. Corpus ede bibeque tibi quæ sunt apposita corporea, tui sodales cibum non ore, sed auribus hauriunt, eorum ego nunc habebo curam. Spiritus Animaque benignas aures adhibete. Quanquam à tractu Domini primò vos per eius angelum audiisse non dubito studii cognitionisque philosophicorum efficaciam, tamen corporis mole tunc grauiores quàm futuri modò, vix potuistis omnia ferre, precium operæ fuerit antequam ad amoris fontem veniatis, obiter ea repetere, quæ hîc necessaria videbuntur. Ante lapsum Adæ nec lata sinistraque via, nec miseriæ vallis extiterunt, sed vndique patebat aditus omnibus ad hæc felicissima loca. Post primam hominis inobedientiam, Dominus viam hanc amplissimam in callem strictissimam difficilimãque (vt videtis) restrinxit, in cuius ostio collocauit Cherubin angelum, ancipitem gladium manu tenentem, quo quidẽ arceret omnes ab introitu felicis patriæ: hinc de-

deflectentes Adæ filii propter peccatum primi ſui parentis,in ſiniſtram latam ſibimet viam cō-ſtruxerunt,quam euitaſtis. Longo poſtea tem-poris interuallo D.O.M. ſecreta ſecretorum ſuo-rum introiuit,in quibus amote miſerente, accu-ſanteque iuſtitia, concluſit angelo gladium iræ ſuæ de manibus eripere, cuius loco tridentem hamum ſubſtituit aureum, gladio ad arborem ſuſpenſo:& ſic mutata eſt ira Dei in amorem,ſer-uata iuſtitia: quod antequam fieret, fluuius iſte non erat,vt iam, in ſe collectus, ſed ante lapſum per totum orbem terrarum roris inſtar expanſus æqualiter: pòſt verò rediit vnde proceſſerat. tan-dem vt pax & iuſtitia ſunt oſculatæ ſe, deſcendit affluentiùs ab alto manans aqua gratiæ, totum nunc mundum alluens. In ſiniſtram partem qui deflectunt,partim ſuſpenſum in arbore gladium videntes,eiusq; noſcentes hiſtoriam,quia mun-do nimiùm ſunt inſiti, prætereunt: nonnulli vi-dentes eius efficaciam perquirere negligunt, alii nec vident, nec vidiſſe voluiſſent: hi rectà pere-grinationem ſuam ad vallem dirigunt omnes, niſi per hamos reſipiſcentię,vel pœnitentię non-nulli retrahantur ad montem Sion. Noſtro iam ſæculo (quod gratiæ eſt) mutatus eſt gladius in Chriſtum ſaluatorem noſtrum, qui crucis ar bo-rem pro peccatis noſtris aſcendit. Hæc om nia le-gum naturæ,diuinæq;, tum gratiæ tempora de-notant.Nunc audite quis errorum vię ſtatus exi-ſtat.

*Mundi*

*Mundi fabrica.*

Ph. Dixit Deus Adamo poſt lapſum: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & in dolore pariet vxor tua, maledixitque terræ propter hominem, & ſterilis facta fuit, quæ nullo cultu priùs, ſed affluentia cœleſti tantùm producebat fructum abundantiſſimum: at licet humanis nunc agitata ſit laboribus, tribulos & ſpinas vix ferre videtur. Ab eo tempore quo veritatem exuit homo: de victu & amictu quærendis, eum anxium reddidit ipſa neceſſitas, quę ſtudiorum mater eſt altera, primarum etiam artiũ inuentrix, vt agriculturæ, pariter & paſtoralis exercitii. Cœperunt itaque primi ſinceriq; homines quærere, quibus carere non poterant: impuri nõ ſolùm ea, ſed per fas & nefas vſurparunt omnia quæ ſuis viribus inferiora fuerunt. Nuditas docuit primum hominem carnes frondibus tegere nudas. tandem induſtria paulatim (vt moris eſt) propter neceſſitatem aucta, pellibus animaliũ operire: mox inde fames fodere, ſerere, ſuoq; tempore meſſem colligere, gregis, armentorum, pecudum & paſcuorum habere curam, & alendæ familiæ, moribus naturæq; legibus inſtruendæ conſeruandæq; pacis, ab imbrium & temporis iniuria caſis tectisq; ſeſe, nec non armenta tueri: tota primæ fuit hæc neceſſitatis anxietas. His artibus primi patres ævi contenti lætiq; vixere pacis temporibus. Poſtquam terra fuit repleta, ſufficere non potuit, vt

quiſque portionem haberet eius, & agricolæ forent omnes, vel paſtores: at oportuit aliis alios inſeruire diuerſimodè qui non habuerunt. Amictus & fabricæ diuerſa genera produxit curioſitas, inde ſartores, ſutores, & fabri, quos acus & malleus comprehẽdunt, ſumpſerunt originem. Horum diuitiæ labore partæ quæſierunt otiũ apud nonnullos, qui ſibi tantũ agri compararũt, quantũ victui ſupplere potuit, amictuiq; : penes reliquos augmentum: hi conſiderantes rerum penuriam, vnius & alterius abundantiam loci, mercimoniam exercuerunt: hinc vectores, & animalium baiulantium actores, prodierunt, nec victus ratio caruit ſuis artibus: nam piſtores, furnarios, laniones, coquos, & œnopolas excogitauit in peregrinantium ſubſidium. Hæc ab initio bona fide tantiſper adminiſtrata ſunt omnia, donec proprium commodum, odiumq; fraternum irruperunt, à quo tempore mutata ſunt hominum ingenia, tantumque habendi fames, quantum opulentia creuit in hunc vſque diem, quo nemini nemo, nec ſibi fidere cœpit. Commodo quiſque ſuo caſas in ſplendidas mutauit domos, quæ tandem in pagos, oppida, caſtra, ciuitates, & ſuburbia in vrbes excreuerunt, ab odio non immunia tamen, poſtea tẽporis iniuria homines ignauos, qui nõ proprio, ſed alieno labore victitare volunt, ſimul & bellũ peperit inter vicinos potiſſimùm. Hoc iterũ foſſis, mœnibus, aggeribus

geribus, & propugnaculis in defenſionem iniuriarum dedit initia. Contrà vitiorum quoruuis paſta, quam otium eſſe ſcitur, bombardarum & tormentorum execrabile genus diabolicum attulit ab inferis, quo totius humani generis, niſi diuino cautum eſſet auxilio, rueret ſocietas: quæ quidem nouarum artium vltima, concluſit mundi fabricam. Et propter dictorum varietatē pulchrum appellant mundum, qui diligunt eū: at vos auditores iudicate quænam ſit eorū pulchritudo, quæ quantò magis abundant, tantò minùs quieta ſunt ac magis anxia. Quæ mundū vt audiſtis cōcernunt, omnia labilia ſunt, nec eſt qui pilum horum pauper vel diues poſt mortem ſecū deferat. Videte igitur in quibus ſpem ſibi reponūt miſeri mortales, & quanta cura ſibi cōparant nihil quod eos perdit, qui ſua ſorte contēti nolunt eſſe. Nunc audite quæſo ſæculi tranſitorii peregrinationem huius.

## *Mundi peregrinatio, quam erroris viam appellamus.*

AEtatis anno ter ſepteno peracto, biuium electionis maxima pars aggreditur, omniumq; curſus per angelum Domini tractus hamo retardatur. Verùm plerique ſub eo repentes, alii tranſilientes, & maxima pars, dum pauciſſimi trahuntur, inter hamū & introitū erumpens vię, ſalutem fugiunt omnes, quotquot hunc euadere

tractum conantur, nulloque fræno mundum ingrediuntur. Horum pars maxima deliciis, & mundanis abusi voluptatibus, in paupertatem à Domino Deo nostro misericordię sinuntur incidere, qua retrahantur ad priorem resipiscentiæ viam: sed inutile prorsus humanum genus, cui Deo resistere iam innatum est, nõ desistit media quærere, quibus proprio conatu laqueos euadat quos sibimet posuit, ab eo non petens auxilium, à quo solo depẽdet omnis misericordiæ munus. Hinc factum est, vt in siniſtram viæ partem officinam sibi maximã extruxerint, in qua quidem officiorum genus exercetur omne: huic domui præest industria, quæ cunctos præter ignauos pigrosq; recipit. Ab vna parte quorumuis studiorũ officinæ literarię positę sunt, ad quas se recipiunt illi, qui sua literas incuria reliquerant: isti plerunque se conferunt in officinas manuales ab altera parte sitas, in quibus experiuntur ea quæ literis à sapientioribus olim cõmissa sunt, ne sicut priùs inexperti rerum litera sola ducantur in opiniones fallaces. Alii qui suo damno mercaturam exercuerunt, ac illi qui manualibus incumbentes artibus in pauperiẽ lapsi sunt, nouas rerum formas inauditaque dies ac noctes somniant, quæ mercatoribus mercatores, & mechanici precio quibusuis passim exponunt, vt damna sua resarciant, tum ad opimiora perueniant. Quod postquam adepti fuerint, ab industria recedentes in secun-

ſecundam mundi regionẽ tendunt: per infirmitatis pontem facientes tranſitũ, ante quem, ſecũdus Domini tractus oues perditas ad ouile verum reducere conatur, ex quibus pauciſſimæ reſipiſcentię viam ingrediuntur: cæterę pontẽ pertinaciter tranſeuntes, bonis iam induſtria partis, liberiùs vtuntur quàm prioribus. At quia bonus Deus eos retrahere vellet, infirmitates in ipſos dominari permittit, tum rurſus vt priùs remedium à ſe quærentes, ad xenodochiũ etiam à ſiniſtris conſtructũ & per maximum confluunt, cui medicina præeſt. Ibi pharmacopolarum, chirurgorum & phyſicorum ingens eſt copia, quodq; quiſq; ſuum exercet officium. Sanitate iam recuperata, nõ ſicut antea ditiores facti, ſed diminuti bonis abeunt, pontemque ſenectutis maxima pars eorũ inuito tractu Domini præterit, vno vix aut altero viam ingrediente poſtremã, quæ pœnitentiæ dicitur. Vbi iam ad tertiam mundi regionem deuentũ eſt, nil præter incuruata ſenum videre dorſa, facierum rugas, claudicationes, lamentationes, ſuſpiria, reliquorum etiam id genus tædiorum aceruum audire licet, queq; cuiq; ſua facta manent, donec ad mortis poſtremum hoſpitium appulerit, in quo ſeuerus admodum hoſpes nullius parca manu, ſeparationis aculeum corporis ab anima laxat ex arcu mortifero. Quid inde fiat ignoro libenter, iudicium (cuius eſt) relinquens Deo. Mundi iam fabricæ, pere-

grinationísque ſtatu cognito, videamus quis veritatis viæ ſit exitus, vt oppoſitorum debita cõparatione facta cognoſcatis, vtra vel erroris, vel veritatis via ſit ſalutis.

*Via veritatis.*

Philoſophia. Audiſtis antea, gladium angeli primi tractus, arbori ſupra fluminis ripam ſuſpẽſum fuiſſe, cuius (nunc gratiæ tempore) loco pendet ob oculos nobis Deus Deique filius, generis humani reſtaurator Chriſtus. Is efficaciùs prætereuntes amore ſuo manifeſto, nullis velato figuris, quàm magnes ferrum attrahit, ni forte mundi fex & allium obſtet. Quicunq; per amnis (vt dictum eſt) eminus apparentis admirationem & amoris inexhauſti cominus oblatum exemplum tracti ſunt, huc ad nos ſe conferunt, nec minùs ac vos, quotquot veritatis miniſtræ ſumus, erudiendos libenter ſuſcipimus, vt in poſterum audietis latiùs. Priuſquam tamen id fiat, ſumptis iam cibo, ac potu, gratias agamus Deo, qui dedit omnia quæ neceſſaria ſunt omnibus. Agimus tibi Deo Patri gratias immortales, quòd nos cùm verbo creaturisque tuis alere, tum in hunc locum vſque perducere dignatus ſis, in ſpem melioris vitæ. fiat voluntas tua, qua perficiatur in nobis, quod per te ſolum inchoatũ eſt. Amen. Nunc ad amoris fontem nos conferamus, vt bibatis. En ſitim extinguite veſtram: non ampliùs Animus vel Spiritus, nec Anima, nec

duo

duo deinceps, ſed Mens vna vocabimini, fortior vt facta, tuo poſſis inimico reſiſtere Corpori, quo cum tibi luctandum erit viriliter, donec ipſum naturæ curſum perficiens à te ſeparatum actu fuerit: poſtmodum eſt quòd idem ad puriùs defecatiúsque tibi diuino myſterio coniungendũ iterum ſperes, ad gloriam eius qui cuncta condidit. Quînam tibi pugnandum ſit, audies à ſequenti gradu quarto, Frequentia videlicet, quã vos adeuntes modò comitabor in primum vſq; lapidem: interim totius viæ Veritatis progreſſum obiter vobis oq oculos depingam. A Frequentia recedentes & inſtructi, peruenietis ad Sophiæ caſtra, quibus excepti, longè vehementiori quàm antea cibo reficiemini. Huc vſque lac ſolùm deguſtaſtis. nã donec robuſtiora, facti robuſtiores, ferre valeatis, adhuc eſtis paruuli. Virtus enim docebit quantus ſit amoris veri fructº, quantamq́; menti delectationẽ corporis adferat ſuccubitus: porrò non minorem quàm pro palma certanti de ſuis inimicis militi victoriaq́;. Vlterius ad Potentiam, ſextum gradum, tranſibitis, à qua Virtutum diſcetis exercitia nedum cognoſcere, verùm etiam exequi. Hæc poſtremò ducet vos ad ſeptimum & vltimum philoſophiæ gradum, vtpote miraculum, in quo mundi martyria fiunt gaudia. Breuiter, huius viæ finis, æternæ vitæ, gaudiiq́; perpetui primũ eſt initium, ad quæ vos ducat vlteriùs qui hucuſque vos duxit

Omnipotens & misericors Dominus, hic vobis inde sit comes reliquus. Ite felicerque valete fratres.

*Dialogus, in quo Mens & Corpus interlocutores sunt.*

C. HVi, quis mihi nunc factus est comes, vbinam es anima mea? M. En adsum, quid me vis? C. Non te video. M. Iam iterum vt priùs te cæcum esse fateris. C. Vbi ergo est Spiritus? M. Et me tibi præsentem quæris? C. Deus bone, vnico nunc ambo vos ore loquimini? M. Quid mirum? An eius es immemor quod supra dixeram, te solum cum vnica rem habiturum, dum conquestum esses, cum duobus agere te debere? C. Quid audio, nunquid oculos fascinasti meos? M. Absit à me fascinũ: Verùm hausta simul in amoris fonte facto, reducti sumus in vnum, vt non ampliùs cum duobus tibi præliandum fore putes, sed cum vnica mente. C. Mens plurimis dat initia, mensæ, mensuræ, mensibusque. M. Vtinam & mensam mensurare didicisses, mensiumque tuorum futurum esse finem recordareris. C. Mirum dicis: absque cibo me viuere scis impossibile. M. Hoc & aliud scio, non ex solo pane viuere hominem, quod ignoras? C. Ex quo tu vivis, non adhuc te comedentem vidi? M. Rursus tuam cæcitatem adfers in medium. C. Quî sic? M. Ex omni verbo quod procedit ex ore Domini, viuo. C. Vtinam & mihi sic viuere liceret. M. In poste-

rum

rum & tibi (non, antequam moriaris tamen) licebit. C. Durum nimis cõmemoras. M. Non niſi iucundum. C. Mortem iucundam facis? M. Imò his qui nouerunt eam. C. Nouiſtíne? M. Maximè noui. C. Depinge mihi precor eam quæ ſe timendam prębet omnibus. M. Libentiſſimè tibi hac in re nunc obſequar, nemo hanc metuit præter te. C. Tu non? M. Nihil minùs. C. Inſanis præ nimia ſapientia plus dictu. M. Tu. C. Scio tamen omnes hanc abhorrere. M. Rere. C. Vt intelligaris loquere. M. E re dicam vt intelligas: mens hominis immortalis eſt; ideo mórtem non timet, imò viriliter illam ſuperat: corpus morti ſubiectum eſt omne, quapropter eam apprimè formidat. C. Quî ſcis quòd morti mens non ſubiicitur. M. Scitur ex eo ſcilicet, Omne quod ex morte ſumſit originem, eſt mortale; quod ex vita primordium ducit, non moritur, nec id quod inter vitam & mortem eſt medium adhærens vitæ. C. Obſcura nimiùm loqueris. M. Non niſi clara. C. Quid eſt vita? M. Eſt corporis anima. C. Quid ergo mors? M. Eſt vitę priuatio. C. Hoc non euaſi doctius. M. Audi, quam tu mortem exiſtimas, hæc mihi vitæ eſt initium æternæ, iucundiusq; nihil nobis accidere poteſt, modò tibi moleſta non foret: verùm tu deteſtaris eam, quòd ſcias hac te mundanis priuari deliciis; at ignoras inter has & æterna gaudia minorem cõparationem ſimilitudinemque eſſe, qualem inter fel & mel ali-

quando ſciam deguſtaſſe te. Tandem vt meliùs hanc differentiam cognoſcas, eſt quòd conſideres id quod ſcis, omnium nempe quæ tibi poſſunt vnquam accidere voluptatum mundi continuationem, tædium (vt potius dicam) nauſeam, & quod longè deterius eſt, infirmitatem, & nonnunquam mortem inferre: Si nunc cibum appetas, poſtquam aliquoties ventrem eo repleueris, alium quæres; quo cùm ſatiatus fueris, iterum aliũ, nec ceſſabis vnquam in hoc mundo quærere, quod non inuenias votis non ſatisfeciſſe tuis. De potu quid? interim, dum per gulæ canalem tranſit, delectat; eò dum ampliùs intrare non valet, plurimũ torquet, nec ab eo poteſt abſtinere quod occîdit: mortẽ tamen quam tibimet infers metuis. O miſerum & inſatiabile corpus, quod ab eo cauere neſcit quod nocet, idque timet quod ipſum eſt! Vides ergo brutis humanũ Corpus menti ſuæ diſſonum infelicius eſſe, cúm irrationalia nihil præter ſibi neceſſarium appetant, rationalia verò minimè quod opus eſt, at magis quod necat ſollicitè procurant. Ad ea nũc deueniamus, quæ in corporis vſum extra ipſum expetuntur, vt ſunt omnis generis diuitiæ, propter quas indies miris diuerſisq; modis torquẽtur hominum corpora mentem non aſſequuta. Quid non moliuntur, quæ non humana pectora ſubeunt pericula, quibus animam in exitium, & corpus miſerum diſtrahant ab animo: non alia

de cauſa,quàm vt ſibi de proprio corpore fingant idolum, quod byſſo purpureo coccinoque, torquibus & armillis adornatum, ſupra Deum tacitè non verentur adorare. Maiorem ſuiipſius quàm alterius, idololatriam hanc eſſe quis ibit inficias, aut mortem horum eſſe finem omnium? O corpus ignarum, nihil præterquam te ipſum formidas: nam ex te mors per appetitum initium ſumſit;nil etiam appetis, quàm quod ex te eſt, vtpote corruptionem, quæ mortem inducit quam times. Vide igitur quàm tu tibimet minimè conſtes, quamque aliis, cùm tibi non poſſis,reſiſtere valeas. Reſipiſce quæſo dum potes,nobis adhærens, ne tardè nimis cupias. Ad Frequentiæ nunc hortos deuenimus, ibi te plura de hac re licebit audire.

## *Recapitulatio quarti Capituli gradusque tertii.*

SCitote,fratres,omnia quæ ſuperiùs dicta ſunt, & dicentur in poſterum,intelligi poſſe de præparationib⁹ alchymicis. Non aliter.n.quàm partium hominis,per ſpeculatiuam Philoſophiam, ſeparationem fieri diximus, de reliquorum corporum ſeparationibus igne factis intelligendum eſt. Et niſi talis fiat ſeparatio,fruſtra laborant Alchymiſtæ medicinam vniuerſalẽ quęrentes,quę poſſit omnibus indifferenter mederi morbis. Conſideranda ſunt omnia diligentiſſimè, quæ

fruſtra factũ putes, quia hac & naturali non intellectis, artificialem neceſſariò te cõtinget ignorare. Sed ne tibi videar in Alchymia naturali defeciſſe, de hac nunc tantùm audies, quantum ad reliquorum intelligentiam tibi ſufficiat: & à ſeparatione faciam exordium. Scis, hominem peracto ſibi à natura conſtituto termino, ſuas in partes reſolui (quas ſuprà Spiritum, Animam, & Corpus eſſe diximus) hoc operante mortis corruptione: per ignis naturalis extinctionem, humore deficiente radicali, recedunt Spiritus & Anima relicto corpore; quod iterum in ſuas partes ſeparatur elementales, per putrefactionem in terra factam: quodlibet elementum ad ſuum redit, terreum terra deuorat, aqueum aqua, ſic de reliquis. Spiritus & anima redeunt vnde proceſſerant: non vt à corpore ſemper ſeparata ſint, ſed vt meliori compoſitione iungantur in vnum artificio diuino: poſt quam vnionem non ſeparabuntur ampliùs. Hæc eſt vnionis maxima virtus, inſeparabilis, & partium in vnum compactio. Rurſus, niſi elementa rationalium corporum elementis nutriantur, ſpiritum & animam retinere non poſſunt. Cibus & potus in ſtomachum proiecti coquuntur in digeſtionem (aliter partium ſeparatio fieri non poteſt corporum, quàm per corruptionem aut putrefactionem) & artificio naturæ purum ab impuro ſeparatur, vt puriore ſubſtantia cibi potuſque terræ, aquæ, aëris,

aëris,& ignis,humani corporis terra,aqua,aër,& ignis alantur,impuriore materia terræ,aquæ,aëris & ignis, ciborum & potuum per aluum, aut alia emunctoria,iecta: quæ groſſę materiæ rurſus pars quælibet ſuum ( vt diximus ) elementum petit. Ignis in homine eſt elementum vorax, reliqua puriora conſumens elementa, niſi exteriorum purioribus reficiantur elementis: quapropter neceſſarium eſt alimentũ, aliter ſeipſum conſumit,abſumto quo,locus animę non relinquitur nec ſpiritui. Talis ignis,eſt ignis, & aliorum elementorum vnio ſeu anima, ſine qua nulla componuntur elementa, ſed ſeparantur. In elemẽtis amor eſt philoſophicus: hũc amplectere ſolum, ſi phyſicus vel naturalis philoſophus eſſe cupis, aliter non phyſicus, ſed naturæ vaſtator potiùs euades.

*De Frequentia, quarto gradu philoſophico. Capitulum V. In quo Mens, Corpus, & Frequentia colloquuntur.*

M. SAlue plurimùm ô Frequentia. F. Vos quoque ſaluere iubeo gratiſſimos aduenas ac hoſpites: vnde quæſo? M. Abamoris philoſophia hac ad virtutis caſtra facimus iter. F. Rectè, moram apud me faciatis rogo tantiſper, donec peregrinationis veſtræ ſuſcepti labores, aliqua refecti quiete, ſubleuentur. M. Libentiſſimè tibi hac in re quidem obſequemur. F. Intrate igitur aſſi-

duos hortos, & his quæ in eis ſunt pro veſtris liberè fruamini. M. Gratias ingentes agimus tibi. F. Non mihi, ſed ipſi quorum ſunt omnia, Deo videlicet. Accumbite, parata ſunt ea, quibus vos excipere poſſum. Deum oremus: Alere nos digneris ô Pater omnipotens benedictione tua. Amen. Cura teipſum ô Corpus, interim dum ego Mentem cibauero. Audi mens. Cùm Frequentia ſit concepti circa veritatis amorem perſeuerantia, non eſt alius quàm per aſſiduitatem ad virtutes aditus. In hoc loco nulla requies, hinc fit vt nullus hîc torpori locus extructus videatur, ſed ſub dio vigiles colonos horti virtutũ expetant. Vidésne terram hanc, niſi cõtinuè repurgaretur, pro ſuauitatis floribꝰ & herbis quę producit, nil præter carduos & vrticas reddere: non aliter de Corpore quod circumducis eueniet, ſi torpueris. Hoc tibi datum eſt in coloniam, vt horti diu noctuque mihi commiſſi ſunt. Quicquid in eo lolii ſupercreuerit, auferendum eſt tibi. Non meliùs illud euincere poteris, quàm cùm crapulam abſtuleris: ea nimirum eſt, quę ſomnolentiam inducit & pigritiam. Otium quoq; tolles, vt vitiorum potiſſima radix pereat. Nihil prętter neceſſarium corpori conceſſeris, quicquid ſuperabundauerit, excreſcet in vitium. Audiſti ſuperiùs quid corpori ſit neceſſarium; quid ſalutare nunc ſit audias, & tibi. Corpus corrigere ſi neglexeris, malè tibi propter illud erit, & illi: quia

tua,

tua,non illius, iam eſt facta ratio, quam abiecit: tibi commiſſam (vt etiam eſt) Dei cognitionem putes: quapropter nec tu propter illud excuſaberis,cùm illi pędagogi loco ſis, nec illud propter te,quia priùs è libero ſeruum ſe fecit. Vide igitur quî cum hortis agam; duobus modis eos curo, videlicet eradicatione, & irrigatione: priore ſupercreſcentes herbas inutiles radicitus euello, ne bonas augmento ſupprimant: itidem cum tuo corpore facias oportet, malas cogitationes, & inimicitiam à te reiiciens priùs, ab omni opere malo coërcebis illud: non decet vnum docere præceptorem,& aliud facere. nam ſi peccandi dederis occaſionem corpori, cur illud reprehenderis quæſo? Corpus nihil ſpeculatur, animus eſt qui tacitas imaginationum operationes exercet, quas demum corpus conatur exequi: conceptio mentis eſt, corporis autem executio. Quid ſi lolium herbam euellerem, & interim ſeminarem zizanium, aliud quàm id ipſum quod ipſamet commiſi, correxero? Vide igitur ne corpori plus quàm valeat, adſcripſeris. Verum eſt quòd ipſum ad prauos conceptus exequendos magis pronũ ſit,eisq; plus quàm bonis delectatur, ſed malos à te cogitatus omnes abiice, bonos in eorum locũ ſubſtitue,nil niſi bonum operari poterit,vel ab omni malo deſiſtere: Hæc eſt vna corpus vincendi ratio,alteram audi modò. Si hortos meos ab inutilibus duntaxat vindicarem, certè

parum aut nihil essem operata, cùm alia longè plus necessaria cura sit eis quę sata sunt adhibenda, scilicet irrigatio, totius herbarum alimenti pars altera, qua sine vegetare non possunt. Sic etiam aquâ viuâ Corpus rigabis tuum, quæ Dei verbum est; hoc noctu diuque meditare, præterque hoc nihil, vt corpus aliud quàm idipsum nec loqui, nec facere valeat. Vides iam agris vel hortis optimè comparari posse corpora, quod etiam feciſſe Christum saluatorem nostrum in Euangelio legimus. Semen (ait) bonum quod in bene cultiuatam terram cadit, fructum bonum adfert, non aliter Dei verbum quod super cor molle ceciderit, corpus alet eius, cuius contritum & humiliatum fuerit. Certum est, à primi lapsus tempore indurata sicut lapides esse hominum corda, quæ nisi verbo Dei mollificentur, dura manent in æternum: Pharaonis cor à ventre matris (vt omnium corda sunt) durum fuit: at quia verbo Dei mollificatum non fuit, induratum remansit. Rebelles & inimici Deo nascimur omnes, talesque manemus, donec eradicetur inimicitia per summum agricolam, cuius te ministram ô Mens exhibe. Semen habes, agrum, & aquam, nil ampliùs deficit quàm labor assiduus, non interruptus: nunquam cesses oportet ea reuoluere, quæ iam audiuisti, tum audies, aliter per intermissionem inimico tuo locum dabis. Hæc sunt quæ tibi dicenda commisit hera Virtus,

tus,à qua latiùs doceberis. Ingentes Deo gratias agimus, qui corda noſtra ſuo lumine dignatur illuſtrare, verboq́; ſuo reddere molliora. Amen. Feliciter itote fratres, & Virtutem petite.

## *Recapitulatio quinti capituli, gradusque quarti.*

IMpoſſibile eſt artificem aliquem in arte ſua promtum idoneumque fieri poſſe, niſi per frequentiam & aſſiduitatem operis habitum ſibi contrahat: quid piſtori piſtorem operantem ſæpiùs ac ſæpiſſimè vidiſſe profuiſſet, niſi manum in paſtam ipſe mittens, toties id repetiiſſet, vt iam habituatus piſtor factus alium docere valeret? Quod quibuſdam artem Chymicam addiſcere cupientibus euenire ſolet, vt nonnulli putent eam ſe lectura tantùm aſſequi poſſe: cæteri, paucis admodum operationibus: quæ tamen inter omnes quas Natura dederit artes vnquam, difficilima, notaque minùs habetur: Herculeus certè labor. Mentem Corpus, & ætatem hominum ſuperans, niſi myriadum inter centena datum ſit vni vincere, hoc eſt, perfectum artis ſcopum attingere. Poſſunt verò nonnulli naturæ ſecreta multa ſummo ſtudio laboreque detegere, quæ faciunt in rem medicam, plus quàm alia quæuis olim extra dictam artem inuenta. Sed vniuerſalem illam reperire Medicinam, de qua ſuprà dictum eſt, hucuſque pauciſſimis contin-

git: ſolùm his qui ſe Dei miſerentis gratia priùs, in id ipſum quod optant, reducere potuerunt: hoc eſt, qui corpora ſua repurgarunt ab immunditia, naturalium etiam corporum nubes abſtulerunt. Suadeo quibuſuis artis huius inueſtigatoribus, vt aſſiduè Deum orent, ſtudeant, & operentur, non poterit fieri, quin aſſequantur id, quod in Ieſu nomine petierint à datore luminū. Sed primùm conſiderent, quid ſit petere Patrem in filio: non aliud eſt certè quàm id ſolum exigere quod ſit ad gloriam Dei patris & filii: Solent multi, quod eis vtile videtur, optare, ſed non niſi quod verè vtile eſt conſequuntur à Deo. Breuibus hoc dico multis, Diligentes frequentesque conatus Deus adiuuat, negligentes deſpicit: Diligimus bonum, vt malum non appetamus.

*Dialogus, in quo Mens & Corpus ſimul agunt.*

M. AVdiſtin' quídnam Frequentia dixerit? C. Audiui quidem. M. Quînam arriſit? C. Non vſqueadeò. M. Quî ſic? C. Omnia de me dicta ſunt, in quem verò finem tendant neſcio. M. In tuam vtilitatem felicitatemq;. C. Faxit Deus. M. Dic quęſo, ſcísne poſt hanc aliam futuram eſſe vitam? C. Scio quidem. M. Scis etiam poſt mortem corporis perpetuam eſſe mortem? C. Non ignoro. M. Viuendum eſt in hoc mundo tibi, vt in æternum viuere poſſis. C. Quid aliud facio?

M. In-

M. Indies moreris magis. C. Insanis. M. Audi, viuit in hoc mundo, qui mũdo moritur, & Christo viuit. C. Quis hoc intelliget? M. Non audiuisti in Euangelio, quòd nisi granum frumenti cadens in terrã mortuum fuerit, ipsum solum manet? C. Quid ad rem? M. Tu granum illud es quod in terram cecidit, quia tu nil nisi terra es. C. At audiui, Frequentiam ad verbum Dei granum in Euangelio retulisse. M. Iam audio animaduertisse te. C. Equidem. M. Non es bonus theologus. C. Sis tu mihi. M. Verbum hoc, mortuum fuerit, significationem habet actiuam, si granum frumenti pro verbo Dei sumtum sit, id est, mortificauerit: & talis erit sensus, nisi verbum Dei cadens in cor hominis illud mortificauerit. Et passiuè sic intelligi potest, nisi corpus & cor hominis, quæ in terra seminata sunt, id est, terrena facta, mortificata, mortuaque fuerint, & verbum Dei granum receperint, & in vtilitatem ac ædificationem vel potiùs multiplicationem conuerterint, ipsum solum manet, fructumque non adferet. Vel Christianè magis, nisi granum coniunctum sit per vnionem cum corpore mortuo, manent ambo separata sine fructu. C. Et tu Grammaticæ facis nasum cereum? M. Adhuc es rebelle Corpus, ad Virtutem accelerandum esse video. Sed opportunè iam appulimus.

## *De Virtute, gradu philoſophiæ quinto.*

### CAP. VI.

M. O Sacra iube tuas nobis portas aperiri. V. Quis es qui nos adire cupis? M. Duo ſumus philoſophiæ tyrunculi. V. Quid quæritis? M. Virtutem addiſcere. V. Iuſtam rem petitis, quæ nullo modo vobis negari debet. Quos antea præceptores habuiſtis? M. Amorem philoſophicum, & Frequentiam. V. Gaudeo tales initia dediſſe vobis. Quid vos ad hæc ſtudia capeſcendo mouit? M. Deſiderium cognoſcendę veritatis. V. Radix eſt, & mater omnium quæ Deus inſtituit, veritatis cognitio. Sed in quem finem cupitis eam cognoſcere? M. Vt eam exercere valeamus. V. Erga quem? M. Deum & proximum. V. Bona quidem intentio, cui Deus felicem exitum det precor. Quæ ſunt vobis nomina. M. Mens mihi, Corpus huic nomen eſt. V. A quo accepiſtis ea? M. Ab amore philoſophico Mens vocata ſum, à vulgo Corpus nomẽ retinet. V. Quid Menti cum Corpore conuenit? M. Nihil omnino, ſed omnia nobis in controuerſia ſunt. V. Quid audio? M. Mundũ ægrè fert Corpus relinquere. V. Salutem refugit omne quod mundum ſemel induit, & non niſi maximo labore poteſt ab eo retrahi. Ingredimini fratres, & quod in veſtri gratiã præſtare poſſum, æqui boniq; conſulite precor. Corpus accumbe tuis, ventremque cura, Mens à me cibabitur. O Pater cœleſtis qui

cunctos

cunctos reficis, verbo tuo veritatis nos in vitam æternam alere digneris. Amen. Audi Mens, Rerum virtus est vniuscuiusque rei veritas, & veritas est efficacia per experientiam nota, & efficacia cœlestis influentia. Quicquid ex cœlo nõ est, virtus dici non potest, sed eius simulachrum falsum. Depinxerunt olim nobis virtutes philosophi, qui Deum ignorarunt, quia filiũ eius, in quo Dei virtutes omnes patefactæ sunt, non intellexerunt. Solent etiam recentiores diuidere virtutes in Theologicas, & Ethicas, quo quidem inter doctos viros absurdius esse nihil potest: quia virtus omnis est à Deo, ergo theologica: quæ dicitur ethica, nisi ex Deo sit, virtus esse non potest. Romanorum in hostes fortitudo, pertinacia: magnanimitas, superbia: prudentia, fraus, & dolus: abstinentia, honoris ambitio (sic de cæteris) vitia potiùs quàm virtutes fuerunt: quia non ad gloriam Dei, sed hominum & propriam patrata sunt. Christiani philosophi veritatem solam habent pro virtute, quam in Fidem, Spem, & Charitatem diuidunt. Ex his tribus, & in his tota cõsistit veritas. & quicquid in his non reperitur, falsum est, tam in rationalib⁹, & sensibilibus, quàm inanimatis. Est enim fides eorum certitudo quæ audiuntur, & non videntur. hac ratione dictum est fidem ex auditu esse. quia quod videtur, fides non est, sed scientia certa per oculum demonstrata: eius testimonium præbet scriptura sacra, Cre-

didiſti quia vidiſti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Eſt in rebus naturalibus veritas quędam quæ non videtur oculis externis, ſed mente ſola percipitur, cuius experientiam fecerunt Philoſophi, eiusque talem eſſe virtutem compererunt, vt miracula fecerit: quapropter mirandum non eſt, homines fide feciſſe miracula, cùm inanimata etiam idem virtute ſibi contributa præſtare poſſint. In ea tota conſiſtit ars, vt à ſuis compedibus huiuſmodi ſpiritus liberetur, non ſecus ac iam ſuperiùs dictum eſt, mentem à corpore liberam fieri debere. Corpus igitur carcer eſt, quo virtutes impediuntur animæ, ſpiritusq; rerum naturalium ſuas vires exercere non poſſunt. Talis & eiuſdem eſt efficacię ſpiritus huiuſmodi rerum inanimatarum, pro ſui ſubiecti ratione, qualis eſt in homine fides indubia. Eſt igitur hominũ virtus fides vera, cæterorum omnium eorum eſt efficaciæ veritas. Exempli gratiâ, credere nollet inexpertus rerum naturæ phyſicus, cadauer animalis venenoſi cuiuſuis, etiam ſiccum & aridũ omnino, infecto veneno vulneri, vel apoſtemati peſtifero ſuperpoſitum, virus omne penitus ad ſe trahere, quod chymicis naturę virtutum ſcrutatoribus eſt notiſſimum, & ex vi magnetica naturæ compertum habent. Cùm igitur tales non credant, id præſtare poſſe naturam quod poteſt, indigni virtutibus eius, aſſequi non merentur ex ipſius naturæ ſcriniis arcanum vel

mini-

minimùm. Si etiam experimentum aliquod viderint alicuius, non perquirent vlteriùs, qua tandem ratione ſimile quid fiat, ſed experimento contenti, ſolùm vtentur eo: hac in ignorantia maxima Phyſicorum pars ignara hæret, dicens, hoc habet, nec eſt curioſiùs perſcrutandū à quo: verùm chymiſta phyſicus non contentus experimento ſolùm, nec quòd à cœlo habeat, ſed à qua parte cœli, perquirit, anatomiam creaturæ magnæ, cum ea quæ de microcoſmo fieri poteſt, cõparationem faciens. Quod quatuor modis & inſtrumentis efficere nititur, vtpote, Geomantia, Hydromantia, Pyromantia, & Aſtronomia. Geomantia terrarum in rebus naturalibus: aquarum Hydromantia: ignium Pyromantia: cœleſtiumque virtutum Aſtronomia, ſunt inquiſitiones, quas artifex amore percitus philoſophico, libenter aggreditur, ſpe fretus (qua etiam alitur) ad eam rei peruenire veritatem, de qua ſibi fides eſt inſita: patet igitur, Spem fidei ſtimulum eſſe, vel futurę certitudinem veritatis. Niſi quis certò ſciat acquiſiturum ſe quod proſequitur, friget in eo conatus, ſed vbi fide ſuam opinionem confirmarit, frequentia nimirum adiutus & ingenio, nihil non aſſequitur. Verùm hoc loco fidem per charitatem comprobari nõ eſt ignorandum, ſicut etiam per bonum vel malum mota, benè vel malè poteſt operari. Eſt igitur charitas actu fides executa: quis de vera fide iudicare po-

terit aliter, quàm docuit is qui fides eſt, ab operibus eam eſſe cognoſcendam ? Nonnulli rem intelligentes , à ſeipſa dixerunt incipiendam eſſe charitatem , quod ſic intelligendum eſſe puto, hominem oportet Chriſtianum per frequentiam ſibi virtutis habitum contrahere priùs , antè quàm illam in alios exercere valeat actu. Diſce Mens igitur in proprium corpus exercere charitatem, vanos eius appetitus coërcendo , ſic ad omnia tecum promptum erit. quod vt fiat operam dabo , de fonte virtutis vnà tecum vt bibat, & ambo tunc vnum facti, pacem habeatis in vnione. Accede Corpus ad fontem hunc, vt cum tua Mente bibas ad ſatietatem , & in poſterum non ſitias ampliùs vanitates. O admirãda fontis efficacia, quæ de duobus vnum , & pacem inter inimicos facit! Poteſt amoris fons de ſpiritu & anima mentem facere , ſed hic de mente & corpore virum vnum efficit. Gratias agimus tibi Pater, quòd filios tuos inexhauſti virtutum fontis tui participes facere dignatus ſis. Amen. I nunc vir prudens factus ad Potentiam , à qua Conſtantiam addiſces, & feliciter vale.

*Recapitulatio capituli ſexti, quintique gradus.*

CVique rei ſua virtus ineſt, & cœleſtis influentia, quæ tamen externis oculis minimè videri poteſt, ſed eius effectus. Videmus attractionẽ ferri

ferri factam à Magnete, vim verò magneticam latentem in ipso lapide videre non possumus, quia spiritus est, & sub sensum non cadit; sic de aliis. Vinum in se diuersas vires habet, quæ per experimentum artis chymicæ cognitæ fuerunt à philosophis in eius separatione: Spiritus eius calefacit & exsiccat, Corpus tamen omnino contrarium efficit; nam humectat cum refrigerio, quorum experientiam in aqua (quam ardentem vocant) & in aceto videre licet: hæ facultates omnino contrariæ sunt propter separationem, at ante eam non ita diuersæ, quia tunc de mixtione per vnionem naturalẽ plus participant. In omnibus aliis corporibus naturalibus tales inesse virtutes secundùm magis & minus, quis (nisi mente captus) ibit inficias? Non erit philosophus, quicunque negauerit panem vel frumentum habere spiritum in se non minùs efficacem, quàm sit vini spiritus, licet non sit in pane tam abundans ac in vino: tamen pro pari spiritus sui quàntitare æquè efficax. Si talis potest à pane vinoque separari spiritus artificialiter, quantò magis naturaliter eius fit in homine separatio? Ex his possunt philosophicæ transmutationes intelligi: nónne scimus & panis & vini puriorem substantiam in carnem & sanguinem transmutari? & de vegetabili forma non visibili, formam visibilem animalem fieri? Non propterea mutãtur species rerũ, sed formæ. Quis adhuc dubita-

bit, tranſmutationes philoſophicas fieri poſſe per artem in homine longè meliores, quàm faciat ipſa natura per panis & vini tranſmurationem, cùm alia corpora ſint in rerum natura, quæ maiorem virtutem naturalem, & cœleſtem influentiam habent, à quibus non aliter quàm à vino paneque ſpiritus ſeparari, & in hominis ſubſtantiam, carnem & ſanguinem, tranſmutari poſſunt, & excellentiùs per artem, quàm natura fieri valeat. Sed cur ea ſæpius repetam, quæ luce clariora ſunt philoſophis? qui fidem adhibere noluerit, experiatur per artem chymicam, quam ſi ignorauerit, addiſcat priuſquam experiatur: nam ſi per communem artem deſtillatoriam talia facere conabitur, oleum & operam perdet. Nemo pro ſuo commodo cogendus eſt, ſed admonendus tantùm, quod ſi contemnat proprio, non admonentis damno fecerit.

## *DE POTENTIA, SEXTO GRADV.*

### CAP. VII.

*Dialogus in quo Potentia, & Vir interlocutores ſunt.*

V. APeri quæſo diua Potentia. P. Quis huc introduci vult? V. Vir. P. Vnde huc ades? V. A Virtute miſſus ſum. P. Cuius gratiâ? V. Confirmationis in virtutibus, quas à miniſtra veritatis recepi. P. Rectè, ſed qua ratione id fieri poſſe credis?

credis? V. Potentiâ. P. Cuius tandem? V. Veritatis. P. In quo veritatẽ eſſe putas? V. In Altiſſimi ſolius virtute ſitam eſſe veritatem omnẽ non dubito. P. Iam cõfirmatione dignũ exhibuiſti te: quapropter animaduerte ad ea quæ tibi ſum expoſitura. Potentia eſt acceptæ virtutis à domino Conſtantia. Non eſt quòd quiſpiã putet ſe vel minimam virtutis ſcintillam aliunde, quàm à Deo habere poſſe. Quòd ſi quis à ſeipſo, vel ab alio quàm dictum eſt queṛat, loco virtutis vitiũ in ſui perniciẽ cõſequetur. Sic ſoliti ſunt Gentiles olim operib⁹ heroicis (vt vocarũt) virtutes nõ alia de cauſa venari, quàm vt poſteritati famã de ſe relinquerẽt, in ea ſummum bonum, & felicitatem ſibi miſerè ponentes. Verùm quînam eis ſucceſſerit, huiuſmodi memorabilium exitus apertè nos docuit. Regnum eorũ quòd in arena fundatum eſſet, & non ſuper petram, ruere fuit neceſſe, cuius ruinæ quidem nõ maius veſtigium relinquitur, quàm vt poſteris horum ſtultitia pateat. Quòd ſi ſuper veritatis petram Gentiles ædificaſſent, ſtabile fuiſſet regnum eorum. Non ſunt hominum ſequenda veſtigia, ſed veritatis, in qua ſtabilia ſunt omnia. Meliùs nõ poteris cõfirmari frater, quàm per virtutem ipſam, quæ nihil aliud eſt quàm veritas: hanc ſi in omnibus operibus tuis & verbis, obſeruare conatus fueris totis viribus, ipſa te cõfirmabit indies magis, donec in prælio potẽs factus vt leo, mundi vires omnes euincere valeas,

mortem non timeas, nec quicquid diabolica tyrannis excogitare poſſit violentiæ: vt aurum purum in igne ſemper purius, & glorioſius abſque diminutione diutiſſimè iubilat, non aliter in omni martyrio veritatis confirmati profeſſores gaudent, quod infrà latiùs audies. Sed hoc eſt notatu dignum, quòd non aliter quàm ex frequentia omnium artium & operum habitus & promtitudo datur, etiam ex obſeruatione ſedula veritatis, tam in factis quàm dictis. Conſtantia virtutum cœlitus infunditur ad potentiam, quæ tandem obſeruatione non intermiſſa tranſit in miraculum, ad quod nunc anhelandum eſt tibi. hac iter facito. Vale.

## *Recapitulatio capituli ſeptimi, ſextique gradus.*

LIcet à corporibus naturalibus, etiam inanimatis, virtutes (vt dictum eſt) extrahantur, niſi tamen vlteriùs per artem Chymicam deducantur ad extremam ſuam potentiã, ad aliquod excellens opus non erunt idoneæ: ſed quantò magis depurantur & ſubtiliantur, per ſedulam obſeruationem Chymicam, ad ſuam primam cœleſtem influentiam plus accedunt, & per conſequens efficaciùs penetrant ac operantur: ita vt pro miraculo verè ſit reputandum opus, quod in Medicina quarumuis infirmitatum efficiunt.

## *De miraculo ſeptimo, & vltimo gradu Philoſophico.* CAP. VIII.

MIraculum eſt conſtantiæ Veritatis effectus. In cuius declarationem, vnico tantùm vtemur exemplo, quo patebit apertè miraculum. Quidam Philoſophus ab Imperatore tyranno, propter veritatis profeſſionẽ exceptus hoc martyrio, ſcilicet, vt in exſciſſo lapide ferreo viuus piſtillo cõtunderetur, ait, Tunde tyranne, tunde corpuſculum hoc, mentem nunquam contundes meam. Quod cùm Imperatorem malè haberet, ne veritatem loqueretur ampliùs, quam audire nõ poterat, tortori commiſit, vt linguam truncaret philoſopho: verùm propriis dentibus abſciſſam in Imperatoris faciem expuit, antè quàm corpus eius in pultes contuſum eſſet. O admiranda viri conſtantia, quæ tanto non perterrita martyrio, mortem ſummo cum gaudio ſuſtinens, mundi tyrannidem vicit!

*Recapitulatio ſeptimi gradus, octaui capituli, totiuſq; prioris operis concluſio.*

VTi ſeptem gradus philoſophici, per quos ad ſublimia menti patet aditus, ſeptem ſunt etiam operãtiones chymicæ, per quas artifex ad arcanum illud medicinæ præſtantiſſimum peruenire poteſt. Studio philoſophorum comparatur putrefactio chymica, quia ſicuti philoſophi per ſtudium ad cognitionem diſponũtur, ita res na-

turales per putrefactionem ad ſolutionem : cui comparatur cognitio philoſophica, nam vt per ſolutionem corpora ſoluuntur, ita per cognitionem reſoluuntur philoſophorum dubia. Non aliter quàm ex amore philoſophico ſtudiorũ frequentatio ſequitur, ex congelatione chymiſtarũ vnio prima fit per aſſiduitatem, & operationum reiterationes : ſicuti etiam frequentiâ philoſophorum acuuntur ingenia, ita ablutione chymica ſubtiliantur corporum partes. Eo modo quo per virtutem vniuntur philoſophi, per compoſitionem, elementa per minima componuntur. Per potentiam philoſophicæ virtutes cõfirmantur, ita per fixionem ſpiritus in ſuis corporibus figuntur, vt non ampliùs fugiant. Non ſecus ac per miraculum opera philoſophica ſuam virtutem oſtendunt, per proiectionem Chymiſticæ medicinæ ſuam perfectionem patefaciunt. Iam habes optime lector operis noſtri totam intentionem, ex qua niſi profeceris tam in vera philoſophia metaphyſica, quàm in naturali & chymica, non eſt quòd de me conqueraris, quia quicquid ab aliis obſcuratum fuit, apertiſſimè tibi declaraui. Feliciter vale, boniſque qualecunque ſit opuſculum iſtud conſule.

## *TINCTVRÆ PHILOSOPHICÆ.*

IAm finem facerem, niſi me philoſophicus amor erga ſtudioſos detineret admoneretque,

Theo-

Theophraſti Paracelſi præceptoris noſtri tincturas philoſophicas addere, quibus curæ, tam intrinſecus, quàm extrinſecus, per ſanguinis renouationem fieri poſſunt. Hæ ſunt omnium ſimpliciſſimæ, potiſſimæq; per alchymicam artem tractæ medicinæ, quarum præparationis modum, vnâ cum adminiſtrationibus, ex dicti Paracelſi Chirurgia magna deſcripſi, quò faciliùs intelligantur ea, quæ de philoſophicis medicinis ſuperiùs dicta ſunt.

## *De tinctura Solis, id eſt, Auri.*

EXtracta tinctura Solis, corpus eius remanet album, tinctura verò pura eſt, & ſeperatur ab impuro, id eſt, à ſuo corpore: quæ ſeparatio neceſſaria eſt. Tinctura debet clarificari, vel exaltari in ſuo gradu, qui duplatur quinquies bis 24. altiùs non progreditur: tunc poteſt adminiſtrari quibuſuis, ad renouationem ſanguinis in priſtinum ſtatum, vt dicetur in adminiſtratione.

## *Extractio talis eſt.*

COrpus corrumpendum eſt de natura ſua metallica, malleationeque per aquam Salis, demum reſidentia debet ablui per aquam dulcem, poſt modum extrahitur tinctura per ſpiritum vini. Poſtremò eleuatur à tinctura, tunc manet in fundo.

*Extractio aquæ salis.*

AQua salis fit ex sale, quod mundissimum & albissimum ex sua natura sit, absq; decoctione vel artificiali præparatione, qua sal fieri solet: liquefiat aliquot vicibus, deinceps pulueratum succo radicum raphani commiscetur, & agitetur in eo, tum destilletur post suam solutionem, & cum sanguinea viridi, partibus æqualibus misceantur, & destillentur omnia quinquies, & in eo liquore lamina Solis per antimonium purgati, soluitur in puluerem. Abluatur aqua pura destillata subtiliter, donec salsedo recedat; nam sal ablui sese permittit, nec miscetur in profundo cum substantia, sed separatur.

*Spiritus vini fit hoc pacto:*

OPtimi vini puri non mixti, rubei vel albi mensuram vnam, in circulatoriũ vas optimè lutatum obstructumque recondito, & in balneo maris ad profunditatem vini mersum vas, per decem dies naturales bullire facito: demum infrigidatũ destilletur in cucurbita vel phiala frigidè tamdiu, donec spiritus ascendit. cùm verò signum suum dederit, cessabis mox: nam quod sequitur est aqua vitæ, non spiritus. Hunc vini spiritum infunde super ipsam residentiam, quæ est velut alcool, vt sex digitis supernatet, optimeque lutatum vas ponatur in balneum calidum, in quo maneat per mensem, tunc in spiritum ascendet

aſcendet Solis tinctura, manebitque puluis albus in fundo vaſis. quæ duo ſeparanda ſunt abinuicem. Liquefac puluerem, & fiet ex eo metallum album. Spiritum euaporare permitte, vt artis eſt, manebit ſuccus in fundo tanquam liquor: quem graduabis quinquies in retorta ſatis magna, pro liquoris quantitate. Talis graduatio fit ſolummodò, per eleuationem, quæ materiam ſubtiliat, ſed non permittitur vltra quintam eſſentiam ſubtiliari ſe, hoc eſt, 2. 4. 0. aliter comburitur vlteriùs procedendo.

*Vſus adminiſtrationis eſt.*

HVius drachmam vnam, cum vncia vna theriacæ Venetæ mixtam dabis ieiuno ſtomacho, qualibet vice ſcrupulum vnum. Poſtea cooperiatur in lecto patiens, & ſudet: continuetur 10. vel 12. diebus.

*Eſt etiam in corallo tinctura perquàm excellens ad purgandum ſanguinem.*

CORpus eius teratur ſubtiliter in alcool, & extrahatur eius tinctura ſicut ex auro, per ſpiritum vini, ſimulque decies & ſexies aſcendant, poſtmodum ſeparentur per deſtillationem: aſcenſio fieri debet igne prorſus nudo, deinceps in balneo Mariæ ſeparari debet liquor ſexies, & iterum ſuper feces reiici. Hoc oleum adminiſtretur cum aqua theriacali, nempe ſcrupulum vnum olei, cum eiuſdē aquę drachma vna propinando.

Aqua theriacalis fit, cum vnciis quinque ſpiritus vini, theriacæ duabus vnciis cum dimidia, myrrhæ Romanæ vncia vna drachmisque duabus, croci orientalis drachmis duabus: miſceantur omnia deſtillenturque ſimul & ſemel, adminiſtrentur ea ſicuti dictum eſt.

*Doſis adminiſtrationis eſt.*

VT eius vncia vna drachmæque duæ cum decem vnciis aquæ cichoreæ, vel gamandreæ miſceatur, & eius mixti dentur drachmæ duæ, manè & ſeriò: ieiunet poſtmodùm æger quinque poſt ſumtionem horis, & totidem poſt cœnam: continuetur hoc ſex vel ſeptem diebus: dentur etiam aquæ deſtillatæ ex fumo terræ, vel cichorea ſimilibusque.

*Tinctura Balſami.*

REcipe balſami vnciam ſemis, & ſpiritus vini vncias viginti, ponantur ſimul in pellicanum vel duplex vas, & circulentur in Sole per menſem; quo facto permittit ſe deſtillari ſimul cum ſpiritu per alembicum, quę deſtillatio melior eſt, quàm per retortam hoc loco, ſic manet hæc mixtura ſimul in vna compoſitione: cui addes vnciam ſemis alterius balſami, clauſumque vas digeri permittatur, vt cum aliis permiſceri queat balſamum quod adiunctum fuit, ac perficiatur id quod exit ex ſuo corpore. nam quicquid graduari debet, ſuam ſubſtantiam in vnum corpus terminet

minet oportet. Et cùm hoc vt ſuprà volatile factum fuerit, addatur iterum vncia ſemis alterius balſami, quod exaltabis vt priùs, vſque ad duas vncias addendo graduandoque. Hæc eſt balſami præparatio potiſſima, quæ renouat, curatque quicquid aliæ præparationes non poſſunt: conſeruationis gratia ſuæ, virtutem hanc cœlitùs acquiſiuit ſuprà cætera quæque.

*Adminiſtratio eſt.*

VT ex iſto per ſe præparato balſamo, des ad pondus quinque granorum hordei, cum albo veterique vino bis in die tam diu, donec viſum fuerit ſanguinem emendatum eſſe.

*Antimonii tinctura.*

COmpertum eſt in hoc mundo, nil aurũ purgare meliùs, quàm antimonium. quapropter & in homine, ſi præparetur in potum, idem præſtare poterit, ac meliùs. Nec eſt quòd mirentur literati, præceptorem noſtrum comparationem hanc facere. Diſcant priùs Anatomiam creaturæ magnæ primæque, cùm vltima cognoſcere compararéq; priuſquam iudicent. Veluti ſol inter ſtellas, & aurum inter metalla, non aliter inter animalia homo primatum obtinet: cuius perfectionis cauſa metaphyſicè cõueniunt hæc omnia ſimul in vnum. Sicut igitur Antimonium aurum penitus mundat, aliaque metálla conſumit: ita hominem, ea ratione quam diximus, re-

purgat absq; exoneratione alui, sed purgatione radicali, qua spiritualiter omne superfluum eradicat: hoc est excellentissimum arcanum, cuius structura talis est. Recipe antimonii optimi in alcool facti, quod reuerberabis in reuerberatorio bene clauso per mensem, ex eo fiet volatile, primò album, deinde flauum, postremò rubeum aut croceum leue, quod extrahes de esse suo ex lili per spiritum vini, sic vt supernatet viginti digitis, & permitte sic donec coloretur bene clausum, vt scis: hæc est altissima præparatio lili, quæ hominem radicitus purgat intrinsecus & extrinsecus.

*Administratio eius est.*

VT in dolium vini recentis in Septembri vel Octobri, semper ad viginti mensuras istius tincturę ponatur vncia semis, & simul digeri purificariq́ue permittantur ambo. De vino hoc bibant patientes ad tres vel quatuor septimanas, aut diutiùs, præ omnibus aliis haustibus, vel absque aliis.

*Tinctura salis philosophorum.*

REcipe salis auri, salis Antimonii, salis melissæ, ana vnciam semis, salis communis puri petrosiq́ue vncias octo, misce simul, & super frustum panis stratum edatur ieiuno stomacho. Nec mireris quòd hic ponamus sal auri, sal antimonii, quæ salia vulgaria non sunt, sed philosophica:

phica: poſtquam ſciueris ea quæ ſcire te conuenit in hac arte, non miraberis ampliùs.

*Aliud ſal Philoſophicum.*

RECipe ſalis gamandreæ, ſalis cichoreæ, ſalis valerianæ ana vnciam vnam, ſalis abſinthii vnciam ſemis, ſalis vitrioli drachmam vnam, communis ſalis puri petroſiq́ue libram vnam; miſce ſimul, & edatur vt ſuperiùs.

*Arcanum per quod ea quæ ſuprà poſita ſunt, elucidantur.*

COElum & terra per hominem generant hominem, qui filius eorum eſt, ac filia proleſq́ue: à cœlo habet intellectum, à terra verò corpus: & quia ex terra, in ſuo corpore eſt, in quod reuertetur: ex cœlo tamen quod eſt in ipſo, eſt ex firmamento: præterea quidem adhuc vnum poſſidet ex dono Dei, per quod aſtris dominari poteſt, cùm ex Deo didicerit. Cœlum & terra ſimul ſunt, ſic etiam cœlum & homo, ſed ſicut homo ex terra eſt, ea ratione ſecundùm terram, & ex ea cognoſci debet: at quatenus ex cœlo, ſecundùm cœlum etiam iudicandus eſt: igitur homo, cœlum, & terra vnum ſunt, etiam aër & aqua. Si homo res in maiori mundo tranſmutare nouit (vt in ſal omnia) quantò magis id in microcoſmo, hoc eſt, in ſeipſo nouerit, quod extra ſe poteſt, modò cognoſcat hominis in homine the-

ſaurum exiſtere maximum, & non extra ipſum. Ab ipſo procedit interiùs (licet mediatè) per quod operatur extrinſecus id, quod oculariter videt. ergo niſi mente cæcus fuerit, videbit (id eſt) intelliget quis & qualis ſit intrinſecus, luceque naturę ſeipſum cognoſcet per exteriora. Certum eſt, ex hominis ſanguine generari Sal naturale balſamum eius corporis, quod in ſeipſo corruptionem & præſeruationem à corruptione habet: nam in rerum natura nihil eſt, quod non in ſe mali tantum quantum boni contineat. Pariter ex oſſibus & carne generatur naturale ſulphur, quod propter liquoris naturalis exiccationem incenditur, totumque corpus & ſeipſum conſumit aliquando: huius incendii cauſa eſt, quòd homo fuit à principio ſulphur, hoc tranſmutatũ eſt in carnem & ſanguinem, quæ media materia ſunt hominis, quamq; prima natura vel materia plurimùm odit, ac eam ad ſe reducere conatur: quod cùm fecerit, terra cinisque reſultat, materiæque hominis primæ reliquum, vltimæq; ſubiectum. Quia homo eſt in corruptione generatus, odio proſequitur eum ſua propria ſubſtantia. hinc fit quòd ſulphur naturale hominis, à creatione media recedat in primam, ad quam vt appropinquat, eius naturam aſſumens, in elemẽtarem operationẽ tranſit: qui quidem elementaris ignis, corruptionis eſt cauſa, quiq; per inuiſibilem ſolem plurimis incognitum accenditur.

hîc

hîc eſt ſol philoſophorum. Tales ſunt in homine virtutes, vt per corruptionis potentiam liquorem exſiccare valeant, & hac via ſalia hominis reducunt in calcis naturam, per quam corpus in eſſe tranſit ſulphureum. Corpus itaque reducitur in materiam primam, ad quam proximum, eſt habile factum ad receptionem ignis hominem ad primam ſuam eſſentiam corrumpentis: velut in aliis creationibus videmus, in terra vel montibus. Et licet non eadem ſint corpora, tamen eædem ſunt operationes: non eſt idem ignis in accidente, ſed idem in ſubſtantia. Sol eſt inuiſibilis in hominibus, in terra verò viſibilis, tamen ex vno & eodem ſole ſunt ambo. Homo quidem eſt eſca, in quam per cotem, ſcilicet Mercurium, & calibem Cœlum, ignis huiuſmodi ſcintillę excuſſę, fomentum accipiunt, viresq; ſuas exerunt. Chymicam artem naturaliter exercet Archeus in homine, tanquam artificialis in fuſina ſua Chymiſta minerarum corruptor, qui tria, ſcilicet realgar chymicũ, & Aurum à minera ſeparat: quia tam diu aciſta ſimul permanent, quodlibet per ſe nullam vim habet, ſed cùm ſeparata ſunt vnumquodq; ſuas agendi vires exprimit in homine: talis eſt in ipſo orizon, non in viribus, at in perfecta creatione. Ars itaque naturalis in microcoſmum agit, vt homo ſeparetur in aurum, agente per ſe fulmine: Chymicum ſuo loco ſeparat in loppam, & realgat in fumum, vaporem, vel

corpus ſublimatū: quod Archeus dictus Vulcanicis artibus perficit in homine, donec ad ſuam vltimam perducatur materiam. Eſt enim vltima rerum materia, quæ iubilat in exaltatione ſua, ſicut aurum ab aliis duobus ſeparatum gloriatur in igne, vitrumque.

Nec ſubticere poſſum, quid Theophraſtus Paracelſus præceptor noſter, de Solis terreſtris arcanis vlteriùs ſcripſerit, vtpote differentiam inter quintam eſſentiam auri, aurum potabile, & oleum eiuſdem. Eſt enim quinta ſolis eſſentia, tinctura per vini ſpiritum extracta, cuius modum ſuprà poſuimus. Aurum verò potabile eſt, cùm id, vnà cum aliis ſpiritibus & liquoribus in potionem reſoluitur. At oleum auri eſt, cùm ex auri ſola ſubſtantia per ſe fit oleum purum.

*Auri potabilis deſcriptio.*

REcipe auri foliati, vel puluerati vnam vnciam, hoc in ſuccum reſoluatur, addes aceti deſtillati quantum ſufficit, deſtilla poſtmodum, & ab inuicem ſeparato, tamdiu hoc facito, donec adiunctorum nihil ſaporis maneat: deinceps in aquæ vitæ quinque vnciis immergantur omnia ſimul, & in pellicano per menſem digerantur.

*Eius aquæ vitæ deſcriptio talis eſt.*

REcipe vini ardentis libras decem, roſarum, meliſſæ, roriſmarini anthos, cheiri, foliorum vtriuſque hellebori, maioranæ ana manipulum vnum,

vnum, cinnamomi, maceris, nucis muſcatæ, caryophyllorum, granorum paridis, piperum omnium, cubebarum ana duas vncias, ſucci chelidoniæ, tapſi, meliſſæ, ana ſex vncias, cinerum fabarum vncias quinque: commiſce, permitteque digeri per pellicanum 12. diebus, ſepara tandem, & vſui reſeruabit quem ſuprà ponimus.

*Olei Solis deſcriptio.*

POſtquam, vt ſuprà dictum eſt, aurum in ſuccum per acetum reductum fuerit, bulliat per quindecim dies in ſequenti digeſtione, poſtea ſeparetur in balneo Mariæ volatile, manebit in fundo fixum oleum auri purum.

*Corpus digeſtionis hoc eſt.*

REcipe ſucci chelidoniæ libram vnam, & aquæ vitæ circulatæ partem æqualem, vel paulò plus, reſoluantur in ſpiritum, quibus auri miſce tres vncias, deinceps fac vt ſuprà dictum eſt.

## Concluſio Philoſophicæ clauis.

*CLaue priùs tradita, mox eius vſum & arcas, in diſſolutionẽ iſtarum & à ſuis contentis philoſophicam ſeparationem tradere, quibuſuis naturæ diligentibus arcanorum ſcriniorum ſcrutatoribus, minimè grauabor: eiſq; hac, præter alios qualeſcunque meos labores, ac modò ſupernaturali quodam artificio, Clauem dictam elucidante, fidem facere, me ſibi magis, quàm ipſi mihi vixiſſe hactenus: quod*

*quidem res ipſa docet, atteſtabunturq; omnes, qui me viderunt. Æquum igitur eſſet quieſcere me tantiſper, donec tandē alius noſtræ profeſſionis accederet, qui ſubleuaret onus. Non quòd edā, ſed potiùs ad reaſſumendas reſpirem vires, contra debellare (fruſtra tamen) conantes naturæ veritatem, quam profitetur Paracelſus. Nec otii mihi multum eſſe video; nam propinquus eſt enim Dux ille magnus inimicorum eius. Exurgendum eſt igitur, vtrinq; namque reſonant arma. Calculo fundaq; tamen paratis iam, non reformido gigantem hunc, etſi pygmeus ipſi videar. Veritas namq; ſuos contra mendaces homines, ambitioſos, atq; ſuperbos, qui ſub pallio latent eloquentiæ, quòd in lucem prodire nudi, ſimplici cum ſermone haudquaquam audeant, ne quod in ornato ſepulchro contegitur vitium appareat, armat. In virtute Veritatis igitur, in occurſum venio. Valete quod poteſtis.*

RVRITA

RVRITA

Virtutis mœnia ſacrament.

FINIS.

DE AR-

# DE ARTIFICIO SVPÈR-NATVRALI.

*PRobare nos ab exordio decet, noſtrum artificium ſupernaturale legitimam prolem, & quaſ-uis alias arter Chymicas eſſe adulterinas. Negant moderni Phyſici Metaphyſiciq; pertinaciter quintam eſſentiam noſtram. Hoc nobis argumentum eſt optimum, contra ſimiles, docendi ſuas opiniones eſſe nullas. Quid cœlum eſſe iudicabunt iſti? Negare nobis audebunt eſſe quintum eſſe quid, à quatuor, vt purum ab impuris à Deo ſeparatum, aut ignorare hoc ipſo fatebuntur? Dubium non eſt eos arcanum hoc non intelligere. Si cœlum etiam à quatuor primis eſſentiis ſeparatum eſſe nobis admittant, ergo quinta eſſentia. Niſi dixerint cœlum etiam eſſe quatuor elementa, & eſſentias quatuor puras, vt octo ſint eſſentiæ. Hoc ipſo negabunt cœlum purum exiſtere, eſſeq; dicent, vt inferiora ſunt elementa. Nam puritas ab vnione dicitur hoc loco magis quàm à ſinceritate. Si quatuor elementa eſſent in cœlo, ſicut inferiùs mixta: mixtim etiam apparerent in eo prout hic, quod minimè fit. At vnicum videtur elementum, plurimis ornatum cœleſtibus corporibus, ac tot quot mundus inferior, iſtis etiam correſpondentibus, vt effectibus ſuæ cauſæ. Hæc eſt vera ſeparatio elementorum, quam Alchymiſtas veros imitari decet, purioris nempe ſubſtantiæ ab impuris elementis, vt ſuperioris ab inferiore. Separatio vulga-*

Fil 3
540

*ris illa, quæ fit oleorum ab aquis, & horum à suis terris, qualitatum est, non elementorum. Vt si oleum, quod nonnulli aërem appellant, à sua terra separetur & aqua, nil factum erit aliud, quàm quòd elementa viscosiora, pinguiora, calidioráve, sint à suis qualitatibus per separationem earum facta. Nam cuiuis harum partium quoduis inest elementum, quocunq; modo separetur. Saniùs ergo sic nominandæ sunt, videlicet elementum calidum, pro parte cui magis adhæret ignis, calor: humidum, cui aquæ magis, humor: frigidum, cui aëris frigus, & siccum cui maximè terræ siccitas, quas quidem appellationes etiam usurpabimus infrà. Sed vt ad cœlum redeamus, istud in corruptibilem esse mundi partem, ac alteram quam superiorem antiqui Sapientes mundum appellarunt, & ab inferiori totius altera parte, inferiore mundo corruptibili videlicet, à Deo segregatum affirmarunt. Hanc etiam vniuersalem essentiam quintam & naturalem formam aptissimè vocamus: inferiorem verò mundum, naturæ materiam etiam vniuersalem, formarũ eius omnium susceptiuam. Antequam à suo toto (quod Chaos nominatur) seiunctæ partes ambæ forent quas diximus, confusè continebat alteram vtraq; sic, vt postea vinculum vnionis primæ, & amoris in se retineret, ad alteram indies connecti cupiens alterutra. Qui quidem affectus atq; desiderium, omnis generationis causa est, & verè natura dicitur. Hæc sunt Physices nostræ principia, quæ meis latiùs præcedentibus*

*tibus libellis tractata sunt. Nunc verè, qua artificii nostri supernaturalis principia sint, videamus, ne carere suis dicant fundamentis, qui tam acriter & perperam in eam inuehuntur. Quia hoc propriè nihil aliud est, quàm ars ex naturalibus cõstans principiis, & naturam excellens artificio, sed potiùs diuino quodam arcano, necessarium fuit eisdem uti principiis, quibus ipsa, quòd alia fabricare nequeamus. At ubi suam terminauit Physicam, nos Metaphysicam inchoamus: accipientes ea quæ terminata perfectaq; naturaliter nobis reliquit, & præparauit ac ea supernaturali quodam artificio plus quàm perficimus. Et quia cœlum naturæ magnum tractare manibus non possumus omne, nostris nec organis elementa cuncta concludere, cogimur ad naturæ similitudinem, & imitationem, ex naturalibus uenari magisterio nostro separationis, nostrum cœlum ab impuris elementis nostris, ut Chaos nostrum fabricemus: à quo nobis inchoandum est opus hoc admirabile, quod naturæ magisterium excellere debeat. Iam, ni fallor, intelliges cur dicamus metaphysicam nostram, opus omne superare naturæ. Nam separatio cœli ab elementis, aut prima diuisio Chaos, naturale non fuit artificium, sed merè diuinum. In eo tamen imitari naturam uerè dicimur, quòd per modũ corruptionis atq; generationis operemur in hac arte, & eisdem principiis utamur, quibus & ipsa. Latiùs dicimus, in quouis elementato corpore naturali, cœlum & elementa pro parte con-*

*tineri: aliter generari non possunt. Ergo dum hæc separamus, formam & materiam similes habere possumus illis, de quibus ante sui diuisionem Chaos extitit. Cur igitur in nos perperam latrat adhuc Cerberus? ac si forent impossibilia, quæ per hanc docentur artem. Si cœlum superius, & inferiora elementa per naturã suam generant omnia, cur ex eiusdem cœli partibus, & eorundem elementorum, ipsorum natura media, per nos vnà cum ipsis inclusa nostris organis, supernaturali magisterio primæ Chaos diuisioni simili, paruus mundus non generabitur? si Deus tamen cuiquam annuerit, quo sine perficitur nihil, & si rectè sit inchoatum. Hæc est vnica via, qua peruenire licet ad medicinam vniuersalem & metaphysicam, indifferenter omnes morbos curantem, de qua desperant moderni Physici. Nónne vident vniuersalibus includi particularia quæuis? Cùm igitur medicina talis ex incorruptibili cœlo, & elemẽtis incorruptibilibus, aut ad incorruptibilitatem reductis fabrefacta sit, & ad vniuersi mundi nedum similitudinem, sed resurrectionis etiam, cur non valebit contra corruptiones omnes microcosmi se referentis ad medicinam hanc? Si resurrectionis mysterium intelligerent isti Zoili, fortassis non dissentirent à veritate metaphysica. Verùm quòd eorum qui resurrectionem ignorarunt, ac negarũt, sectentur somnia, huius etiã arcani capaces existere minimè valent, nec eo digni sunt. Quid ad nos, quantò magis veritati resistere conabuntur,*

*tantò*

*tantò nudiùs inſcitiam ſuam ac ingenii ruditatem, vel ſua mentis obſcuritatem & cacitatem detegent. Ad verarum artium ſtudioſos conuertamus nos, rogemuſq; Deum, vt aliis nebulas ab oculis auferat, & quæ reuelata ſuis eſſe vult, videre queant. Fundamentis antea iactis, ac principiis poſitis in vnico noſtro Chaos, operæpretium erit huius partium extractionem à compoſitis naturalibus eos docere, qui credunt opus metaphyſicum hoc à Deo datum hominibus fuiſſe, qui bonæ volun-*
*tatis exiſtunt. Has partes nempe cœlum & elementa rerum omnium eſſe diximus. Certum eſt omnibus à natura productis hæc ineſſe naturaliter, verùm in aliquibus magis, in aliis minus: in nonnullis etiam extractu faciliùs quàm in aliis. Vnde philoſophorum ſententia eſt, vt propinquiora faciliaq; magis amplectenda ſint. Similia ſunt vinum optimum Tartarum, Melrecens, Flos anthos, Liliũ rubeum, Chelidonia, Mercurialis, &c. De quibus per ſe, vel aliis mediis, eſſentia quinta ſeparari facilimè poteſt à ſuis craſſioribus elementis & hæc in ſuas qualitates prædominantes repartiri poſſunt: manentibus in quouis elemento quibuſuis elementis. Animaduertendum eſt etiam, vinum dici philoſophicum hoc loco poſſe liquorem omnem, de quo per artificium eſſentia quinta ſua ſeparari poteſt, vt infrà de tritico, pane, granis bacciſve iuniperinis, &c. fieri docebimus. Nec ignorare debes, in hac arte ſi practicus eſſe voles, formam & materiam,*

*de qua Chaos metaphyſicum exiſtit, eſſe quintam eſſentiam, aut cœlum (de quo locuti ſumus) rerum omnium, & elementa. Quapropter vide ne confundaris appellationum varietatibus. Non poſſum enim aliis vti vocabulis, quàm illis quæ ad hanc artem ſunt neceſſaria. Si quæ tamen obſcuriora fuerint, aut ænigmatibus velata per ſcriptores antiquos, aliis elucidare conabor facilioribus. Non volo tamen vt exiſtimes meame docere te, vel à me ſolutiata, ſed ea quæ ex probatiſſimis huius artis authoritatibus deprehendere potui, clariori ſenſu deſcribere tibi, ne deſperes cum plurimis, qui vel ob ſcriptorum iſtorum intricationem, aut obſcuritatem, à ſecunda lectura ſemper abſtinent ac vituperant iniuſtè, cum ſui craſſitiem ingenii potiùs, & ignauiam carpere vel acuere deberent. Conſidera igitur ea quæ diuerſo ab antiquis progreſſu tibi per me tradita ſunt, non ſenſu diuerſa tamen exiſtunt: & facilè percipies ea quæ tibi priùs obſcura videbãtur, ſi huius negotii vel tantillum intellectus habeas. Multa quidem in hac arte detexi, quæ non inuidia cauſa nobis obtexerant antiqui, ſed vt ab indignis tuta forent & malitioſis hominibus: nec ego hac de cauſa, quòd clarius loquar, iſtis viam facilioremeſſe cupio, ſed verè ſtudioſis. Non eſt ergo quòd mireris cur alium in horum tractatione, quàm antiqui fecerint, ſcribendi modum obſeruem. Hoc in tui gratiam factum putes, meliùs vt intelligas. Quapropter ab hoc te ſtudio non remorentur fallaciumartium*

*tium discipuli, qui quam nõ viderunt hactenus, nec ferre lucem valent, nec alios videre cupiunt. Exemplum hoc tibi sit insciti& sua, quòd neminem eorum videas, qui contra scriptores antiquos in hac arte calamum arripiat, vt probabilibus rationibus & ex arte deductis redarguat, sed calũniis & iniuriis vt afficiat eos: quas etiam dum probare nequit (quantumcunq; doctus existat) probos viros obscuris, & simiistis (vt ita loquar) non chymistis, qui velut simi& quoduis ementiuntur opus, comparat. Non satis est dicere, hic est nequam atq; deceptor: sed causam adferre cur talis existat eum oportet, qui sic alios audet appellare: vel ipse talem se esse hoc ipso palàm facit. Diaboli siquidem est opinio quosuis alios calumniatores appellare, quòd etiam tales fore cuperet omnes: sic & eius filii bonos persequuntur. Aliqui tamen chymist& similes etiam chymistas redarguere voluerunt, fortè quòd aliis vterentur vocabulis, quàm antiqui veri chymist& posuerint, vel artem istam fabulosis poëtarum figmentis allegoricè tribuerint (qua quidem Rhetorices figura, qu&uis ad alium sensum & falsò contorquere facilimè licet) verùm eorum scripta rectè si iudices, neutram partem alterã intelligere videbis, vel vtram q; scopum nondum attigisse. Vbi non inuidia regnat aut ambitio? Multi, vel quia non possunt artem hanc assequi, vel quòd alios in ea ingenio feliciori se videant: aut in artem ipsam, aut in eos qui scripserunt obscuriùs quàm ferat eorum intellectus, inuehun-*

tur: eoq; ſibi laudem comparaſſe putant, quòd alios carpſerint. At non ſcribunt quis verior ſcopus artis exiſtat, nec dilucidiùs, aut clariùs eam exponunt. Quotquot ſunt huius farinæ homines, vnà cum ſuis mordacibus limis, vix floccipendo. Si quid ad artem iſtã adferre boni potero, vel clarioribus verbis eam tractare (ſeruata modeſtia tamen) faciam ſedulò quod virũ alteri cuiuis proximum ex charitate decet. Vbi me fuerint aggreſſi, videbo quid & qua ratione reſpondero. Non priùs in alios libenter feror, quàm ab eis laceſſitus verbis, factis, aut ſcriptis (vt antea falsò perperamq; malo patrantis & ignominia ſua) fuerim. Hæc ſunt igitur, quæ piis probisq; lectoribus expono legenda priùs, & exactiſſimè demũ cum antiquorum ſcriptis cõferenda, vbi concordare viderint, fidem adhibeant, aliter nõ. Impoſſibile tamen fuerit eximio cuiuis ingenio, lectura ſola rem ipſam addiſcere. Quapropter operando magiſter in arte hac fiat oportet eum, qui potiri cupit in ea ſuo deſiderio. Nulli rei ſcriptura meliùs cõparari poteſt, quàm claui: hæc niſi tradatur, ad occluſa non facilis patet aditus, nec niſi mittatur in ſerã. Non ſecus donec manus ad opus hoc applicueris, nõ priùs arcana, quæ Deus ſub rerũ natura cõcluſit, vt aliquando hominib. innoteſcerẽt, intelliges. Quæ tibi proponimus igitur vt clauẽ accipias, qua reſerare ſincero ſtudio ſeras phyſicas metaphyſico magiſterio diſcas. Interim quos tulimus qualeſcunq; hoſce labores, in tui gratiã candide Lector contulimus. Boni conſule & vale.

De ſepa-

## *De ſeparatione metaphyſica per ſe facta.*

### CAP. I.

ANtea diximus in Præfatione, cœlum eſſe quintum elementum, non quòd ſint elementa quinque, ſed quatuor tantùm, quorum purior ſubſtantia diuiſa eſt à Deo ſupernaturaliter, in cœlumq; ad vnionem redacta, & impurior manſit inferiùs in quatuor partes poſita, quæ mundum inferiorem & elementarem conſtituunt, alteraq; pars æthereum. Non aliter eſſentia quinta noſtra metaphyſica, trahitur ſupernaturali magiſterio, ab impurioribus elementis rerum per ſeparationem, quę talis non eſt, vt exiſtimarunt plurimi deuiantes à veritate, credentesque falsò quatuor elementa ſeparari poſſe, vnum vt ab alio ſit liberum. Nam ſi hoc foret, machina mundi facilè ſolueretur: at ne fiat, prouidit Altiſſimus omnium Conditor, voluitque ſub vnione partes has quatuor ita conſeruari, vt licet vna per qualitates ab aliis diſcerni queat, earum tamen eſſentias in ſe retineat. Hanc vnionem apertiùss in cœlo nobis patefecit, in quo nulla deſtinctio videtur partium, at ſub naturę ſuperioris & inferioris vinculo cõcluſit vnitatem: quæ ſunt eadem & vnica natura. Duplex eſt igitur ſeparatio, ſcilicet elementorum vna, vt purioris ab impurioribus: & qualitatum elementalium altera: quæ poſterior vulgaris exiſtit, prior verò metaphyſica. Natura tamen operatur per ſolam

commixtionem,& hæc duas operationes continet, vtpote Alterationem & animationem. De ſingulis in ſequentibus agemus latiùs. Nunc de ſeparatione puri ab impuro loquamur. Hæc fit in corporibus quibuſdam per ſe, vt in vino, & in aliis per vehiculum, vt in granis & ſeminibus. Quamuis in omnibus corporibus à natura productis eſſentia quinta lateat, in nullo tamen tam abūdè ac in vino,& à nulla re alia tam facilè ſeparari poteſt. Quare philoſophi prætulerunt iſtud, ob facilitatem ſeparationis eius, non quòd melior aut præſtantior ſit eſſentia quinta de ſuo, quàm de quouis alio corpore tracta. Nam vniuerſalis eſt omnibus, & æqualis illa cœleſtis virtus, nec niſi propter diuerſitatem ſubiecti diuerſa, neque diutiùs quàm in eo fuerit: libera verò ſuam ad vnitatem redit. Hoc enim eſt vnum ex arcanis occultioribus naturæ, per quod ad altiora peruenerunt philoſophi. Separabis igitur à corpore quouis ſpiritum eius cum anima, prout ſequitur.

## *De ſeparatione per vehiculum.*

### CAP. II.

ALiis meis libellis, vtpote chymiſticis, docui rationem ſeparandi cœlum ab elementis per ſe. Quamobrem eò lectorem eſſe relegandum iudicaui potiùs, quàm diuerſis vnum idemque repetendum. Nunc verò, quòd à nonnullis corporibus non facilè ſine vehiculo fieri queat, hanc viam

am etiam oſtendemus exemplis, quibus meliùs quàm regulis addiſcere valeas, & præſertim quòd vini philoſophici mentionem fecerimus.

Accipe grana tritici, hordei, vel ſiliginis, quæ macerata priùs aqua pura vt intumeſcant, eximantur ab ea, ſoloque ſic accumulentur in aceruum, vt poſt aliquot noctes atq; dies incaleſcant ac germinẽt. Quo percepto diſtentãtur, vt exſiccari valeant. Aut ſi neceſſitas vrgeat, in ſporta lata viminibus contexta, ſuperque fornacem inuerſi camini ſimilitudinem referentem, id eſt, inferiùs anguſtam, latamq; ſuperiùs extendantur, & fumo ſubtus excitato ſiccentur, donec ſemitoſta non aduſta colore ſubruffo tamen appareant. Animaduertendum eſt intereà ne ſporta ſuccendatur igne, ſed à flamma longè ſatis eleuata ſit. Granum hoc mola non admodum acri macinetur, aut craſſo modo rumpatur, non in farinam ſed in fruſtula quædam. Poſtea reponatur in vas ligneum, & quæ longo tempore bulliuit affundatur aqua feruentiſſima, cooperiaturque vas optimè. Poſtquam refrixerit & quieuerit, liquor per ſetacium vel ſaccum eiiciatur, ne commiſceantur ei fruſtula. Vbi iam ſeparaueris aquam primam hanc, aliam affunde feruentem vt priùs, & cola. Sępiùs idipſum repetas, donec videris omnem à grano ſubſtantiam in aquas tranſiuiſſe: quòd guſtu facilè percipies liquoris & grani. Tandem accipe liquores omnes, & in cacabo fer-

uere tam diu facias, donec in ſpiſſitudinem flaui deſpumatiq́ue mellis reducantur. Inde mox in vas aliquod poſitos deſtillabis, & ab iſto melle vinoq́ue philoſophico ſeparabis animam cum ſuo ſpiritu, ſublimabisq́ue toties donec ab omni phlegmate liberentur. Quicquid reſiduum fuerit corporis in fundo vaſis deſtillatorii ſubſidens eximes, & in vmbra, vel per euaporationem humorum exiccabis. Demum igne violentiſſimo reduces in cineres aridiſſimos, quibus affundes aquam feruentem, & in ea bullire diutiſſimè facies, vt inde capitellũ (quod aiunt) habeas aſperrimum. Hoc ſupernatans & clarum inclinatione ſeparabis à cineribus, & his aquam priori ſimilem affundes, coques & repetes quæ iam dixi, tam diu, donec aſperitatis nihil in poſtremo ſit capitello, quod abiicias. Hoc & alia præcedentia quæque per manicam filtream tranſire facito in limpidiſſimum liquorem, & hunc euaporare ſinito vitreis organis, vt habeas tartarũ noſtrum, & ſal naturale rerum omnium. Hoc ſuper marmoreum lapidem in loco humido frigidoq́; reſolui poterit in aquam tartaream, &c.

## *De ſecunda ſeparatione.* CAP. III.

POſtquàm eſſentiam quintam à vino philoſophico, vel vulgari cuiuſuis coloris (modò merum ac violentiſſimum exiſtat) habueris optimè rectificatum, prout in chymicis docui libellis, huiuſmodi ſuccum reducas ad ſummam ſimplicitatem

citatem continuis rationis motibus, vt ibidem habetur. Et finito rotę circulo, videbis iterum ab impuro ſeparatum purum, & natare ſuperiùs aëris colore ſereniſſimo. Hoc ab impuro ſepara per inclinationem, & ſerua. Cœlum hactenus videris nudum, quod ſtellis inferioribus, non aliter ac ſupernum eſt ſuperioribus adornatum, habere poteris. Mirabuntúrne iam Phyſici Græcos imitantes, quòd cœlum & ſtellas manibus contrectemus, aut vt cætera negabunt? Parui ſanè refert quid faciant.

## *De ornamento cœli metaphyſici.*

### CAP. IIII.

INferiores ſtellæ nobis exiſtunt indiuidua quæuis à natura hoc in inferiori mundo producta, coniunctione ſtellarum & cœli ſuperiorum cum inferioribus elementis. Iam audio vocem eorum in nos infremitantium dicentem: Vah, tollantur ſimiles homines, qui cœlum terræ ſe coniungere poſſe prę ſumunt. Clamitent altiùs ad raucedinẽ vſq;, audire maiora cogentur. Cœlũ eſt materia cœleſtis & vniuerſalis forma, cõtinens in ſe formas omnes diſtinctas, ab vnica forma tamen vniuerſali procedentes. Quapropter, quicunque nouerit, indiuidua per metaphyſicam artem in genus generaliſſimum reduci poſſe, ac poſt modum ei virtutes ſpeciales vel plures infigi, medicinam vniuerſalẽ facilè reperiet, quæ corruptiones & morbos particulariter vel vniuerſaliter

omnes tollere poterit: cùm vnicum ſit omnium corruptionum exordium,& virtutum renouantium vel animantium fons vnicus: quis igitur, niſi mente priuus philoſophus dubitare poterit? Verùm quòd apertiſſimè deſcriptum ſit à plurimis philoſophis, quînam fiat, non vrgebo latiùs ad ea potiùs tranſibo, quæ ſunt obſcuriùs ab eiſdem poſita,vt elucidare queam,& ſtudium iſtud promouere. Acta quidem ab aliis eodem tractare genio nil prodeſt lectoribus. Lege igitur quæ hac de re ſcripſerint ipſi, & cum his confer, vt quod vtile ſit, hoc teneas.

## *De definitionibus & nonnullis diuiſionibus vocabulorum,quibus in opuſculo deſcribendo hoc vtimur.* CAP. V.

A Suo chao Metaphyſicum opus maius exordium ſumit. Eſt igitur neceſſaria definitio huius & aliorum inter extrema duo mediorum omnium. Chaos hoc loco propriè dicitur formarum particularium, & materiarum ſuarum cum vniuerſali forma ſuaque materia confuſio. Quod variis conſideratur modis: Primò, pro confuſione hominum intellectus non intelligentium artem iſtam. Secundò, pro confuſione partium extremum hoc primum conſtituentium. Tertiò,pro confuſione, qua ſe habent confuſè cum ſuis extremis,& ſucceſſiuè media quæque, vnum ad alterum videlicet potentia, nec

non ad omnia, quouis in quibuſuis, & iſtis in quolibet exiſtentibus. Quartò, veluti natura medium eſt inter elementa & elementata: non aliter artifex in hac arte mediũ habetur inter Chaos, operationes, medicinam perfectam, & perfectiſſimam. Ex iſtis quatuor intelligi facilè poteſt, medicinas dictas de ſua potentia in actum deduci, mediantibus materia, forma, cœlo, & operationibus intermediis. Motu namque per artificem excitato, Chaos tranſit ad ſecundum extremum, quod eſt medicina perfecta, & iſta ad perfectiſſimam, iuxta mediorum ordinem, atque diſpoſitionem ad alterutram. Vt rem acutiùs percipiatis, eſt chos noſtrum vniuerſale quid, omnia quæ nos operamur in ſe concludens, à cuius ventre debet ingenioſus artifex elicere materiam ſuam, formam, cœlum, & elementa, vt ex his medicinas conficiat quæ dictæ ſunt. Materia metaphyſica dicitur, prima & vniuerſalis materia, ſiue Mercurius ad Vegetationem mouens, & particularem formæ materiam primam extrahens à forma. Tribus modis conſideratur hoc loco: Primò quidem vt ſubiectum paſſiuum, quod ſub artificis excitatione per media requiſita motum patitur: ex quorum omnium operationibus, oritur cœlum de ſua materia. Secundò conſideratur vt quoduis corpus ægrum, quod formam patitur medicinarum, vt res elementares formam vegetabilem. Tertiò, pro formæ vel

formæ materia, veluti materia prima ſubiecta cœli actionib⁹, nam aliter formæ vim obtinet, vt poſtea latiùs. Hac etiam ratione cœlum, quòd ſubiectum ſit formarum iſtarū actionibus, quibus in albam vel rubeam tincturam efficitur, materiæ rationem habere dici poteſt, & formæ, quum dictas formam vel formam ad medicinā perfectam vel perfectiſſimam actione ſua mouet, vt infrà patebit ampliùs. Ex eo noſtri Chaos cognitionem optimam habere potes, quòd vna & eadem ſubſtantia, diuerſis tamen rationibus ad aliam paſſiuè ſe habeat, & ad eandem actiuè, tum è diuerſo. Pauciſſimi hactenus materię metaphyſicæ cognitionem habuerunt, ex qua cœlum exurgit metaphyſicum. Eſt enim habenda ratio ſimplicis & cōpoſiti ad ſimplicitatem redacti per alterationem, mixtionem, &c.

Forma rerum, eſt virtus generatiua, qua ſibi ſimile quodq; producere poteſt: vt hominis forma latet in homine, & non in alio: arboris in arbore, nec non in metallo metalli: cruda non debet opus ingredi, ſed per ſublimationem euacuari ad latera ſublimatorii vaſis, vt ab inani ſuperfluaq; ſua terra ſit libera. Dupliciter hoc in opere conſideratur, vt cauſa dirigens artis iſtius media per intellectum: quo quidem regimine, perfecta medicina perfectiſſimaq; prodeunt in lucem, & ad motum deducuntur mediorum intellectualium, quæ ſunt veluti quædam inſtrumenta ſenſualia,

ſualia, quibus artificium ad perfectionem ducitur,&c. Similis forma dicitur operis huius artifex. Vnde patet, media cauſatiua cum naturalibus maximam habere concordiam. Aliter conſideramus formam, vt agens in materiam perfectionis formationem ad album, vel ad rubeum: cuius virtute, quaſuis alias formas extrinſecas minoris facultatis, huiuſmodi medicinæ tranſmutant in ſibi ſimilem, &c. Non poſſunt etiam ambæ quas diximus formæ, per ſe magiſterium adimplere, ſed ſunt veluti maſculus, à quo ſperma deiicitur in ventrem cœli noſtri, &c.

Cœlum eſt Mercurius noſter, cœleſtis coloris, quo ſignificatur eum eſſe de natura cœleſti, & hac de cauſa propter incorruptibilitatem intellectualis dicitur, & ea ratione qua cœlum ipſum intelligere dicimus, vt hominem, qui ſenſualis & intellectualis eſt. Habet enim proprietatem in ſe ſpiritus incorruptibilis, qui eſt velut anima habens in ſe conditiones corporis: quoniam generat & producit ex ſe ſemen vt fœmina. Hac via differt ab aliis magiſterium hoc ingredientibus. Et quia ſenſu percipitur, Mercurius dicitur ſenſualis. Hic vt cauſa mouens educit potentiam in forma vel forma priùs exiſtentem, ad actum rubeum vel album: easque non ſecus in vtero ſuo geſtat, quàm vxor infantem à viro ſuo conceptum. Ex eo colligi poteſt, cœlum noſtrum actionem habere in formam aut formã, & cœlum

iſtarum ac rerum omnium in eis occultum, de potentia in actum educere manifeſtum. Nam in eo virtus cùm generandi, tum nutriendi conſiſtit, prout in menſtruali ſanguine maſculini ſeminis: hac de cauſa menſtruum in hac arte vocatur, & cœlum ratione motus. Non aliter enim quàm cœlum ſupernum, vniuerſalem formam, & materiam primam, nec non elementa ſpeciesque ad compoſita elementata, & indiuidua, noſtrum cœlum etiam formas noſtras ad elementa quatuor mouet, & inde ad medicinam perfectam, & plus quàm perfectam. Aliquoties vocatur ſanguis, quia nutritiuum eſt, & vegetare creſcereque facit dictas formas, donec ad ſuam perfectionem veniant, veluti ſanguis menſtrualis embryonem, è modico ſemine magnam in quãtitatem, ſeruata partium diſcretione, per nutritiones & alterationes medii cuiuſuis in aliud, quantitatis & formæ quarumlibet in aliam: exiſtentibus huiuſmodi mediis, & qualitatibus in quauis alteratione in formas à primis diuerſas, donec ens aliquod oriatur, in continua quantitate conflatum ex variis & diſcretis, in corpus anima ſpirituque viuum. Non aliter de metaphyſico lapide contingit, qui generatur ex cœlo proprietatem habente vegetabilem, cuius etiam ſimilitudinem in medicinam perfectam & plus transfundit, vti vegetatiua matrix in filiũ quem concipit ac parit, iſtam proprietatem fœtus etiam

iam retinet vt parens. Itidem & medicina perfecta plusque, retinet proprietatem ſuorum parentum, cœli videlicet ac elementorũ, qua ſimilitudinem ſuæ perfectionis, vt incorruptibilitatis ac temperantiæ transfundit in ſubſtantias externas, & in ſuam ſpeciem tranſmutat: & hac de cauſa Mercurius vegetabilis dicitur, natus ex duabus ſubſtantiis, vti ex muliere maſculi ſemen concipiente formamq; alteram, ac virtutem aliam quàm ante conceptionis initium habebat, poſſidentem.

Elementa reputantur in hac arte quatuor colores apparentes, & quatuor modis aliter conſiderantur: Primo, ſicut ex cœlo de materia tracta ſunt. Secundo, prout elementa ſimplicia cœli, de craſſioribus rotationis circulo ſeparata ſunt elementis. Tertio modo ſunt in formis exiſtentia naturaliter, & cum cœlo iunguntur. Quarto verò, prout ſeparantur à forma, cœloque alteratione, mixtione, diſſolutione, generationeque mediis, per magiſteriũ ſeparationis qualitatum eorum, & ex dictis partibus aërea tantùm aſſumitur, & exuberatur per artificium rotationis, & ita cum formis in cœlum commiſcetur. Notandum eſt etiam, elementa poſſe de formis educi per cœlum ante coniunctionem, vt eorum materia prima cœlúmve magis ad genus generaliſſimum accedens habeatur, &c.

Diſſolutio dicitur cognitio, ſeu coitus ma-

ſculi cum fœmina, metaphyſicus, & iſtius ab illo concipientis idipſum , quod concipere debet. Hoc generationis particularis initium eſto, quo coniugii noſtri metaphyſici ſenſualiter percipitur effectus, & vnio duplicis in embryonem ſeminis.

Alteratio eſt vnius in alterum per ſimilitudinem conuerſio: quæ dupliciter conſideratur, iuxta duplicem operationem , in quantum per ſe fiat. Priore modo conſideratur, prout formæ in cœlum & iſtud in formas alterantur. Poſteriore verò, intelligatur formas & cœlum ita ſimpliciter conuerſa eſſe vt in tertium numerum itetatò conuerti queant , ſcilicet in medicinam perfectam & plus.

Iſtæ conuerſiones vel alterationes dicuntur ſimplices. Aliæ ſunt quæ fiunt per accidens, vti quum ex imperfectis, proiectione medicina perfecta fiunt, alteretione, tranſmutationéve. Mixtio fit ex duobus coloribus, vtpote pallido & azurino, vt ex eis cognoſcatur, formas & cœlum in opere maiore cõmiſceri ſine quouis alio, prout ab initio generationis hominis aliud nihil admiſcetur viro & fœminæ vel ſeminibus eorum: & hoc loco fit coniugium inter formas & cœlum. Fit etiam aliá mixtio, qua quidem aër & ignis cuiuslibet iſtorum,& formæ cœli, alterationis , mixtionis , diſſolutionis , generationis, & cœli materiæ,commiſcentur cum formis,&c.

Digeſtio

Digeſtio dicitur concepti ſeminis à ſemine fomentū,quo medio quidem oritur medicina perfecta, & plus quàm perfecta. Neceſſarium enim eſt,vt in cœlo formæ tamdiu digerantur, donec ad eam quam ſuprà diximus, ventum ſit medicinā priorem: & poſtmodum, vbi viſum fuerit artifici, proſequi poterit vſq; ad ad alteram perfectiorem. Hinc optime lector colligere poteris, duplicem fore digeſtionem, vnam videlicet qua de formis & cœlo fit ad medicinā tranſitus perfectam: alteram qua tranſeundum eſt ab hac & cœlo ad perfectiorem. Hac ratione ſunt alia media neceſſaria,prioribus haud abſimilia, mixtio ſcilicet,alteratio, diſſolutio, generatio, & operatio: niſi quòd ex prioribus imperfectiùs quid oriatur,quàm ex poſterioribus. Et mox atq; per digeſtionem croceus color apparuerit formas denotat:azurinus verò cœlum noſtrum,& qui medii fuerint inter hos,coniunctionis medium cœli cum forma,illud ad perfectam connectens medicinam,vel iſtam ad perfectiſſimám.

Generatio hoc loco diuerſimodè conſideratur (verùm vt eius definitio ponatur,occultarū formarum eſt manifeſtatio) primò prout eſt gradus perfectam generans medicinam ex cœlo formiſque: ſecundò prout perfectiſſimam generat medicinam ex perfecta cœloque. Alio modo,quum incipit à diſſolutione per alterationē & digeſtionem ad medicinam tranſire perfectam,& in ea

terminum facit, finemque perfectionis attingit minoris: aut vbi hinc transiens, maioris perfectionis vltimum gradum acquirit. Hac ratione posteriore, percipi facilè poterit maioris perfectionis magisterium, natura potiùs quàm artificio promotum, ab isto nihilominus excitatum in perfectione minore: vbi magis quàm illa profuit hoc. In posteriore magisterio siquidem non aliter, quàm fœtus in matrice, vel auis in ouo, generatio fit. Quapropter & ouum philosophorum appellatur suo modo. Non meliùs intelligi potest hoc artificium, quàm eo, quod ex mixtione resultat materiæ cum formis ad precios os lapides, vt rubinos, saphiros, & vniones, qui fiunt in vtero cœli nostri philosophici mediante generatione, cum eisdem virtutibus quas à natura nacti sunt, naturales. Inde sequitur, cœlum hoc attrahere posse virtutes omnes in lapidibus existentes, virtute quidem vnitatis vel suæ simplicitatis, aut (vt meliùs dicam) magneticæ virtutis. Hac via potest artifex egregius à naturalibus corporibus virtutes elicere cœlestes, & artificialibus virtutibus includere, mediis artis operationibus huius. Nam quicquid impositum cœlo fuerit huic, soluitur, & si conuenientia solutæ rei fuerint addita, fiet id quod optatũ est: etiam ex pluribus vnum. Ex hoc opere plura colligi possunt, quæ ad opus & artificiũ precios orum lapidum attinent, mixtione materiæ, & formæ cum cœlo per aquas. &c.

Colo-

Colores ſunt in hoc artificio mutationes apparentes, & primus eorum niger eſt. Hic nobis indicat formas cum cœlo concubuiſſe, nec non hoc embryonẽ in vtero ſuo concepiſſe. Demonſtratur etiam eo colore, diſſolutionem ſuæ perfectionis terminum attingere. Tandem eo diminuto, alboque pòſt apparente, naturam cum cœlo formisque tranſitus initium facere, nobis indicatur ad perfectionẽ, ſed minorem: & demum cum iſta & cœlo formaque ad maiorem, in cuius fine tranſitus, terminum completum habet ipſa digeſtio. At vbi color iſte, per ignis maiorem excitationem, cœperit minui, & oriri croceus, cognoſcimus partes & membra ſimul coniungi numero tertio, nec non in continuam aggregari quantitatem, ſic vt ſenſualiter membrorum infantis noſtri contignatio, colligatioq; nobis appareat: nam ſperma diffuſum eſt per totam ſubſtantiam noſtri cœli philoſophici. Orto mox iſto colore, pòſt colligi videtur in forma rotunda, formæ Lunæ haud abſimili, vel circulari concludi linea. Euaneſcente colore hoc, rubeus oritur, quo noſtri lapidis membra partésve congregari reddimur certiores, in tertio numero perfectioneque.

Nam poſt coloris iſtius ortum, certum eſt infantem noſtrum corpore potentiaque vegetabili completum eſſe. A quo tempore numerum ſcire dierum artificem oportet, intra quos lapis

noſter ab initio conceptionis, ad terminum vſq; rubei coloris apparitionis primò deductus eſt, & ſine intermiſſione duplex ei tempus adhibere, ſed paulò viuaciùs. Quo completo, quod quæſitum eſt acquiritur, vtpote lapis durus multis inuolutus ſuperfluitatibus, non ſecus ac mulieris poſt partum fœtus apparet. Media, croceum inter & rubeũ colores, digeſtio, generatio, mixtioque ſunt, aqua, materia, forma & cœlo percepta: quorum quidem cõmixtione, ſub eorum finem apparent mediorum, aqua, materia, forma, ſine forma cœloq;. Nam ſi forma & cœlũ adhuc ibidem eſſent, partes aliquæ minimè cum aliis colligari vellent, nec in tertio coniungi numero.

Separatio virtutum eſt extractio, quæ motu fit ignis, hoc in particulari magiſterio, quo calore per accidens forma, cœlũ, & elementa mouentur & excitantur alteratione, mixtione, diſſolutione, generatione, coloribus, digeſtione, ſeparatione, & operatione ad minorem vel maiorem perfectionem. Quia gradus, & media ſeparando ſe ab aliis, ingrediuntur alia, per iſtamq; ſeparationis operationem attrahitur formalis, materialis quoq; virtus à formis, & cœlo ad minorem perfectionem, & ab hac ad maiorem, Et hac via formæ cœlumque vel minùs perfectum, ſuas mutant ſimplices formas, in maiorem vel minorem perfectionem: ipſo minùs perfecto exiſtente de altera forma, quàm formæ & cœlum per ſe, maio-

maioreq; perfecto exiſtẽte ſub alia forma, quàm erant minùs perfectum, forma cœlum, aut formæ cœlumq; per ſe. Quæ quidem perfectiones, ſuas virtutes proprias exiſtẽtes ſub forma tertia, retinent in transformante veneno. Si talis origo per ſeparationem dictam non fieret, nec alteratio, neq; generatio proceſſioque minùs, at opus naturæ deſtrueretur in lapide philoſophico.

Medium iſtud eſt elementorum ſimplicium indicium, exiſtentium actu in cœlo noſtro, cum naturalibus elementis in formis exiſtentibus, & quòd ignis, aër, aqua & terra oriuntur, & ſeparantur etiam à cœlo in mixtionem cum aliis quæ dicta ſunt. Et hæc omnia per colores deſignantur.

Potentia hîc idem eſt, quod alteratio, per quem gradum intelligitur omnes alios gradus, & media quęuis ineſſe potentia noſtro Chao primò: ſecundò verò elementis potentia exiſtentib⁹ in materia noſtra. Eſt igitur iſta potentia nihil aliud quã actus noſtri cœli, de quo latiùs agimus in opere lapidifico. Plures norunt conficere lapides, virtutes autem naturales eis adhibere non, quia cœlum noſtrum ignorant, in quo, de quo, per quod, & cum quo lapidum complementum, & perfectionis augmentum eorum conſiſtit.

Operatio dicitur hoc opere, colorum quatuor excitatio, quibus operationum deſignatur varios eſſe modos. Primus color denotat cœlum in

formas actionem ſuam, & operationem habere, vel in minùs perfectum & formam. Secundus, externum ignem actionem in cœlum, formas, & elementa cætera, mediaque naturalia & actualia habere per motum ad minorem perfectionem atque maiorem. Tertius, formas, vel minùs perfectum actionem in cœlum poſſidere ſuam, hoc ipſum informando vt ad minorem & maiorem perfectionem deueniat. Quartus color ſignificat operationum actiones, quas habet artifex in omnia quæ ſupra dicta ſunt, ignis per adminiſtrationem vt cauſam, in ſeparatione cœli & operatione formarum, &c. Significat etiam actiones perfectorum, tam minoris, quàm maioris in ſubſtantias extrinſecas per proiectionem, iuxta ſuas facultates ad rubeum vel ad album, quibus informata fuerint. Medium hoc, fabricationis ritum atque modum igne fieri, mixtioneq; materiæ cum formis, & cœlo philoſophico, cumque ſuis arti conuenientibus inſtrumentis, denotat.

Minùs perfectum lapis dicitur albus, terminatus coloribus tribus tantùm, vt oculo patet: ex eis enim compoſitum eſt. Iſti colores in vnum acti, denotant operis completi perfectionem, cœli videlicet, elementorum, alterationis, mixtionis, diſſolutionis, generationis, coloris, digeſtionis, ſeparationis, operationis, & ignis. Hoc medio cognoſci poteſt, ſubſtantiam ex cœlo formaque

maque progreſſam, operationum gradualium potentia. Quicunque ad ſcopum hunc peruenerit, ſapientes omnes mundi ſapientia doctrinaque vera ſuperabit, ac medicos omnes artis huius ignaros medicæ. Nam infirmitates nedum, & lepram tollet metallorum, ſed humanorum etiam corporum incurabiles (quos vocant) morbos.

Fermentatio propriè hoc loco dicitur minoris perfectionis multiplicatio, ac ad maiorem adductio, mixtione, diſſolutione, alteratione, generatione, coloribus & digeſtione mediis: componendo cœlum formam, & minus perfectum in mixtionem, ignisque regimen adminiſtrando tamdiu, donec per ſupra dictos gradus omnes tranſeat, & generationem, atq; colores in maiorem perfectionem, quantitate, qualitate virtuteque longè potentiorem ad rubeum & album, ac ad corporis humani ſanitatem recuperandam. Ex iſtis facilè colligitur minus perfectum in maius tranſire, prædictis mediis & operationum actionibus formarum, cœli, elementorum, fermentatione, ſeparatione, operatione & igne per debitam adminiſtrationem. Etiam artificem (vbi voluerit) ſemel tantùm componere debere minus perfectum, quoniam infinitum poteſt multiplicari, nec non ad maius adduci, poſt modum ex iſto in aliud, in infinitum, ſicut humanum genus ſpeciem ſuam continuat, vno gene-

rante ſemper alium, donec ſeculum erit. Non abſimile de paſta farinæ dici poteſt: hæc enim aliam ſucceſſiuis producit fermentationibus. Hoc loco notandum tamen erit, minus perfectum in maius & infinitum progredi poſſe, mediante forma cœloq́; tanquam fermentis: quod pauciſſimis, etiam artificibus egregiis hactenus cognitum fuit.

Maius perfectum eſt vltima lapìdis perfectio maioris, qui coloribus quatuor conſtat & componitur: quorum duo denotant elementa quatuor in eo eſſe cum virtutis omni perfectione, ac numeri in vnitatem concluſione vt in coloribus viridi rubeoq́ue patet expreſsè.

Colores alii verò, ſignificant cœlum, & formam ibidem exiſtere, cum omni perfectione, & vnitatis ſimplicitate, per magiſterium elementorum quatuor, & mediorũ ſupradictorum, &c.

Ex poſtremo gradu hoc poteſt percipi, maius perfectum habere poteſtatem, ſuam ſpeciem dupliciter multiplicandi, generandiq́ue ſui ſibiq́ue ſimile, videlicet in virtute prædictis operationibus, & in ſubſtantiarum externarum tranſmutatione. Minore quidem longè perfectius eſt, virtutibus operationibusq́ue, tam in metallorum transformatione, quàm in deſperatarum apud omnes infirmitatum cura, quapropter maius perfectum non immeritò vocatur.

Graduum & mediorum omnium, quædam

ſunt

ſunt intellectualia, vt Chaos, potentia, operatio, generatio, digeſtio: ſenſualia quædam, vt vinum & prima materia, corpus, forma, elementa, minus maiusque perfectum, colores, fermentatio, ſeparatio, quia ſenſibus vt oculis percipiuntur. Alia verò ſunt ſenſualia partim, & intellectualia, ſicut cœlum & omnia media gradusque minoris operis. Et præterea quoduis prædictorum graduum mediorúmve ſuam retinet proprietatem, ſub ratione ſua differentem: quarum quidem proprietatum, aliæ ſunt naturæ, perfectionis artis aliæ. Media proprietatem retinentia naturæ, ſunt vinum, & media quæuis minoris operis, quę ſe habent veluti forma vniuerſalis, & materia prima, ratione proprietatis antea dictæ. Ex duobus iſtis oriuntur omnia media gradusque mediante quidem artifice, non aliter quàm ab vniuerſali forma, & à materia prima oriuntur elementa compoſita, mediante natura.

Poſtquam de gradibus & mediis maioribus dictum eſt, operæprecium erit etiam de minoribus aliquid in lucem adferre, ſuasq; definitiones ex opere minore producere: ne practica legentibus deficere quid ad eius intelligentiam videatur. Eſt igitur hoc loco forma idipſum quod in opere maiore diximus eſſe. Verùm eius eſt hic differens vſus, eò quòd in formatione præparatur, non ad minus vel maius perfectum, & à lapidis forma differt, quia ſuam conditionē à forma,

cœlo,elementis, alteratione, mixtione, diſſolutione,generatione,coloribus, digeſtione, fermẽtatione,ſeparatione,& operatione,recipit.

Materia hoc in opere diuerſimodè conſideratur: Primò vniuerſaliter accipitur: ſecundò pro claue philoſophorum: tertiò pro oleo: quartò pro ſulphure per informantium oleum informando, ſcilicet in inceratione, ratione cuius lapis hic oritur.

Corpus accipitur hîc pro corporibus metallorum imperfectorum,de quibus naturę ſulphur oritur,hoc operante claue philoſophica: perque formam olei formantium diſponitur operationibus mediis,vt ſolutione,& inceratione, donec fiat lapis qui quæritur.

Clauis philoſophica hoc loco, non aliter quàm cœlum ipſum in opere maiore conſideratur,& per hanc fieri debet calcinatio, diſſolutio, euacuatio, multiplicatio, ſpiritus,argentum viuum exuberatum,ſulphur naturæ, tinctura,oleum,& inceratio,mediante ſublimatione & igne, donec ſulphur dictum ad effectum lapidis adducatur.

Calcinatio diuerſis conſideratur modis. Primo, quum fit per Mercurium vulgi, ſub quo Sol & Luna patiuntur. Secundo, quum fit per acetum fortiſſimum, quo crocus elicitur à Marte. Tertio, quum ſulphure auripigmentoque mediis fit æs vſtum ex Venere. Quarto verò, cum

fit

fit claue philoſophorum, & hoc modo præparantur omnia corpora metallorum ad ſolutionem, euacuationem, & alias operationes antea dictas, ingrediendum.

Diſſolutio manifeſtæ formæ prioris, dictorum corporum eſt occultatio, non per ſe verùm claue dicta mediante, quæ corporibus eſt valdè congrua: ſicuti videmus aquam igne corrumpi medio quidem aëris, quo ſine in vapores non eleuatur. Differt à diſſolutione maiore, quòd hac formæ tantùm & minus perfectum reſoluantur, at illa metallorum corpora quæuis.

Euacuatio nihil aliud eſt, quàm ſpirituum occultorum à ſuis corporibus extractio, vt formarum altera formentur oleorum informantium, & hac via poſt fermentationem, & inceration em tranſeant in lapidem. Quod quidem hac operatione trahitur à prædictis corporibus, eſt materia de qua lapis noſter à potentia in actum deduci debet, mediis quæ dicta ſunt, operationibuſque.

Multiplicatio non eſt aliud hîc, quàm euacuationum reiteratio continuatioque. Per iſtam operationem corpora ſex ad nauſeam prouocantur, & ad euomendum lapidem à ſuis viſceribus.

Spiritus eſt argentum viuum à ſex corporibus tractum, & in euacuationum aquis exiſtens.

Argentum viuum exuberatum, eſt ſpiritus corporum iam per euacuationem completam ſeparatus.

Sulphur naturæ ſpiritus eſt corporum, per ſublimationē exaltatus in ſal excellentiſſimum quatuor colorum, pallidi ſcilicet, viridis, nigri, rubeiq;: & hic poſtremus ignem denotat, ac per ipſum fieri tranſitum ad naturæ ſulphur, quod oritur ex argēto viuo exuberato, & iſtud indicat à ſpiritu ſuam originem ducere, nec non hunc à multiplicatione quæ ex euacuatione procedit: & iſtam à diſſolutione, hanc autem à calcinatione, quæ quidem à corporibus omnibus. Eſt autem ſulphur hoc filius genitus ab imperfectis, ac ad induendum albas veſtes purpureásve diſpoſitus. Differt ab iſto filius qui generatur à perfectis, per oleum in quo formæ continentur filiorum imperfectorum: & quòd eorum ſulphur ſit naturæ, nec non aliorum, quorum ſulphura ſunt arida, humiditatisque ſuſceptiua.

Tincturæ ſunt colores in opere diuerſis modis apparentes. Primo, viridis & croceus. Secundo, rubeus & croceus, viridis & niger.

Primi colores denotant ipſam tincturam, qua ſulphur naturæ tingi debet, originem à Sole & Luna ducere, per operationum artificium, quæ ſuperiùs dictę ſunt. Alii verò ſignificāt quorumlibet imperfectorum ſulphur corporum, iſtos induere debere colores, vt ex eis fiat lapis habens & poſſidens parētum ſuorum poteſtatem à quibus originem habuit. Si coniuncta non fuerint ſulphura bina ſimul tanquam fratres: qui dictis

induan-

induantur coloribus, non fiet id quod quæritur: poterunt nihilominus tria ſimul, & plura coniungi ſulphura.

Oleum eſt forma duplicem colorem habens, vtpote viridem & croceũ, quibus indicatur eam à perfectis produci corporib' mediis opportunis.

Inceratio, fermentatio, vel potiùs informatio verè dicitur prolis imperfectorum ad conditionem lapidis accipiendam formatio.

Sublimatio dicitur ſubtiliatio, quæ dupliciter fit, in puluerem ſcilicet ſubtiliſſimum, & in liquorem. Hac poſteriore via, corporum ſpiritus media multiplicatione conuertuntur in argentum viuum exuberatum: priore verò vertuntur in ſulphur naturæ. Alia ratione conſideratur etiam ſublimatio, prout materia quę fit propinqua magis perfectioni, vt argentum viuum exuberatum magis quàm ſpiritus, & quàm iſte naturæ, ſulphur lapidi proximius exiſtit.

Lapis eſt finis, & imperfectorum omnium perfectio corporum, & operationum, in quo vt in igne quieſcunt, ac ſalamandræ. Eſt hîc tertium quid ex materia conſiſtens & forma, ſupra naturam, & mediante natura, tum artificis induſtria conflatum.

Elementa conſiderantur dupliciter hoc loco: priore, prout ignis agens exteriùs: poſteriore, ſicut agens extrinſecus: vt ille qui tractus eſt à perfectis in oleum, &c.

## *De aliis differentiis dictionum antea definitarum, diuiſionibuſq; ſcitu neceſſariis.* CAP. VI.

NAtura corrumpens aliquod indiuiduum, primò putrefacit hoc: poſteà ſeparat elementa compoſita, quæ ſunt in eo magis propinqua, poſtmodum iſtorum quodlibet ad ſummã ſimplicitatem adducit, & demum ad primam ſui materiam: quo peracto, corruptionis rota completa eſt, ac à materia prima generationis rota ſumit exordiũ, ad elementa ſimplicia tranſiens. Poſtremò per iſtorum commixtionem oriuntur elementa compoſita, ex quibus fit ſubiectum elementatum, iuxta propriam ſpeciem & formam, ſub qua trahuntur elementa ad indiuidui compoſitionem: & hunc debet artifex metaphyſicus obſeruare proceſſum, vt vbi natura finierit, ipſe per corruptionis rationem incipiat greſſu retrogrado, ſcilicet à fine, per medium tendens, ad principium corruptionis rotæ, mediis adhibitis, quæ ſunt calcinatio, diſſolutio, putrefactio, diuiſio, purificatio, &c. Deinceps ad rotam generationis veniendum eſt, cuius media ſunt, mixtio, inceratio, decoctio, &c. quæ optimè diſpoſita, ſunt inſtrumenta lapidis: quibus etiam omnib. ritè peractis, habebit quod optabat artifex.

Forma huius operis triplici ſtatu conſideratur. Primo, prout eſt prima cauſa. Secundo, prout artifex. Tertio, pro mediorum quolibet alio.

Materia

Materia conſideratur etiam tot modis. Primo, pro ſubiecto, de quo Mercurius noſter elicitur. Secundo, pro elementis. Tertio, pro ſulphure naturæ.

Cœlum etiam triplicem hîc habet conſiderationem. Primam, vt cœlum maius. Secundam, vt Mercurius vegetabilis. Tertiam, vt metallorum anima.

Dupliciter elementa conſiderantur hoc loco. Primò ſimpliciter. Secundò compoſitiuè.

Potentia vel alteratio tot modis differt, quot ſunt media diuerſa.

Mixtio ſignificationem habet quadruplicem. Primam, cœli cum forma. Secundam, aëris cum aqua. Tertiam, aquæ cum igne. Quartam, aëris cum aqua & cœlo.

Diſſolutio ſolam vnam habet conſiderationem, quæ eſt inter cœlum & formas.

Generatio duplicem habet ſignificationem. Primam, qua generantur elementa. Secundam, prout ex iſtis & cœlo generatur lapis.

Colores etiam duplicem habent: priorem in euacuatione corporum, & elementorum rectificatione: poſteriorem, in lapidis generatione.

Minùs perfectam vnam ſolam habet, vt patet ex ſenſu.

Fermentatio triplicem, primam ex virtute, ſecundam ex quantitate, tertiam ex vtraque ſimul.

Separatio triplicem etiam habet operationem: primam quidem inter elementorum qualitates: secunda, purificationis & fixationis eorum est: & tertia, Mercurii vegetabilis & fecum.

Operatio tot significationes habet, quot artis huius existunt media.

Maius perfectum vnicam vt minus habet, sensuque patentem.

Principia mediaque philosophiæ sunt in artis huius principiis ac mediis omnibus vt motus orbis, qui tanquam forma considerandus est, naturales instinctus & appetitus omnes continens.

Subtilissimum ac potissimum in opere medium, est reiteratio rotę corruptionis metallorum, quæ fit vt sequitur.

Formis in cœlum positis, inhumatis, dissolutis, & per breuis artis practicam euacuatis, donec ad sulphur naturæ ventum sit in metallis, tunc rota finitur corruptionis.

Reiteratio fit, quum terra sublimata ponitur in cœlum, & in eo putrefactione diuisioneq; soluitur. Posteaquam aër, ignis & aqua fuerint euacuata, redigat iterum artifex terram ad sui purissimam sublimationem, qua finita, sequatur generationis rota suis cum principiis mediisque, donec ad finem perducatur: & hæc est operatio subtilior aliis, licet longior, tamen perfectior. Hac via minùs perfectum, quod lapis est non fermentatus,

mentatus, in magis, & fermentatum lapidem conuertitur, per elementorum ſeparationem & compoſitionem, quæ tales exiſtunt. Natura nullo modo permittit elemẽta ſeparari per ſe: nam ita maneret quodlibet ſolum vnicã habens qualitatem, & nullum haberet ad generationem appetitum, quod eſt contra naturam.

Separatio quidem elementorum, eſt vnius in & ſuper aliud prædominatio victoriaque, mixto non diuiſo modo quopiam. Color enim ignis eſt rubeus, & quòd priùs quàm ad ſphærã eius ventum ſit, per ſphæram aëris tranſitur, ante rubedinem apparet citrinus color, & clarus ac diaphanus: conſtat ex ignis cum aëre permixtione. Priuſquam etiã ad ſphęram aëris perueniatur oportet per ſphæram aquæ neceſſariò facere tranſitũ: hac ratione color albus, & aqueus apparet ſplendidus. Verùm quia terra centrũ eſt ac principiũ, à quo fieri debet aſcenſus, dum lapis adhuc in eius ſphæra fuerit, niger in eo color, & qui terræ proprius eſt, apparet. Nota igitur ſeparationem & coniunctionem iſtorum in vnum, ſcilicet ignem. Item ſi priuſquam niger, color apparuerit rubeus vel albus, aut eorum alius quàm ſuprà dictum eſt, deſtructam eſſe lapidis operationẽ, ob mediorum coniunctionis deſtructionem, credito. Notanda venit etiam differentia, quæ inter Elixir & lapidem eſſe dicitur per crudũ & coctum. Eſt enim Elixir medicina cõpoſita ex aëre, aqua

& terra,ergo ſolùm ad album. Corpus in aquam ſolutum,ſi rubeum fuerit,colorem excellentiſſimi refert carbunculi , quum in compoſitum ex anima ignis & aëris fuerit conuerſum,& in terræ compoſitum & ignis. At ſi fuerit album, viridem colorem nigredine permixtum exeret. Varii ſunt etiam errores artificum notandi. Primus & potiſſimus in eo conſiſtit, quòd naturam imitari minimè norunt. Secundus,quòd finem lapidis eius initium exiſtiment , finiuiſſeque ſe putent, cùm vix incœperint, vt in opinione falſa trianguli rubei. Nam compoſitio lapidis maioris, durat annos duos , illis qui nunquam antea compoſuerunt : verùm expertis per annum continuum cum tribus menſibus. Nonnulli rami ſunt artis in amplitudine,qui menſibus quatuor aut ſex abſoluuntur, hos ſi reperire poterit artifex,benè quidem , ſin minùs , ingenii ſui capacitatis exiguitatem deploret , cùm apertè ſatis in hoc opuſculo deſcribantur. Iam ad minores differentias veniendum eſſe video.

Forma duplex eſt , vtpote ſimplex & compoſita.Simplex eſt vnitas abſoluta , ſuæque rei ſingularitas in ſeipſa conſiſtens , & non cum alio. Compoſita ſuarum eſt camerarum quatuor primordialium vnio.

Materia quatuor ſunt elementa: ſimpliciter, vt ſignificatur per formam priorem:aut compoſitè,prout poſteriore denotatur. Menſtruum vegetabile

getabile quod cœlum aut clauis philoſophica nominatur, alterum eſt reſolutiuum: reſolubile quidem alterum. Reſolutiuum cœleſte quoddam, alterum verò non, ſed magis corporeum. Cœleſte eſt eſſentia quinta vini vel tartari, de cuius natura ſuum reſolubile deducitur ad actũ. Aliter verò ſic definitur, Menſtruũ eſt ardens aqua perfectè rectificata, cuius virtute corpora quæuis diſſoluuntur, putrefiunt ac purificantur, elementa ſeparantur eorum, & exaltatur in ſal mirabile, terramque, virtute quam habet plurimùm attractiua. Quicunque aliam aquam exiſtimant, ignari ſunt ac inſipidi. Reſolubile menſtruum, vapor eſt potentialis, exiſtens in quocunque corpore metallico, ſulphur & argentum viuum coniungens, quo ſine minimè deducitur ad actum. Vltimò ſic definitur: Menſtruum eſt medium coniungens imperfecta perfectaque metalla in lapidem. Menſtruum hoc reſolutiuum, eſt calidum vſque ad ſecundum punctum quarti gradus: quapropter eius virtutem oportet augmentari calidis vegetabilibus, vſque ad vltimum punctum gradus illius: vt ſunt apium ſylueſtre, napellus, oleander, anacardus, piper nigrum, pyretrum, euphorbium, &c. ſine quibus non niſi longo tempore ſoluit.

## *De generali practica lapidis philosophici, per corruptionis & generationis rotas, &c.*

### CAP. VII.

FOrmarum super alterutram cœli proiice tantum, vt digitis quatuor superemineat. Hoc ipsum in fimum repone per dies sex naturales, ac donec forma conuertatur in aquam. Postmodum excipe vas, & euaporare permittas aquam in cineribus, id est, congela quod solutum fuerat. Inde mox ad hanc terrã affunde cœli rursus tantum vt prius, & in fimum iterũ ponas per mensem cum dimidio, vel diutiùs ad putrefaciendum. Vas demum extrahas & ponas in furnum secretum, in quo destillare permittas aquam, donec nõ stillet ampliùs. Deinceps in cineres ponas ad destillandum, & exibit aqua priori spissior, quam vocamus aërẽ. Hoc peracto, fecibus affunde cœli par vt antea pond⁹, & in fimo tanto temporis spacio stet vt prius: inde per cineres aërem excipe donec stillare nolit ampliùs. Postea fiat iteratio cœli fusionis super terrã, & æquali tempore postquam steterit in fimo, destilletur per cineres iterũ, donec aëris nihil ampliùs exeat. Demum aëris huius quantitatem omnẽ fecibus affunde manentibus in cucurbita, vel antea super marmoreũ lapidem optimè tritis, & in vase clauso per quadraginta dies in fimo fiat putrefactio. Tandem extracto vase, ac cinerib⁹ imposito, destilletur aër & ignis ambo simul: cauc tamen à rubifi-

rubificatione fecum, igne vehementi nimis accelerata. Deinde ſeparabis aërem ab igne deſtillatione per fimum, qua hic in fundo manebit, ac aſcendet ille. Verùm ſi calor hic non ſufficiat, cinerum ſupplebit aëris ab igne ſeparationis opus igne lento: ſeruetur ignis, & ſeorſum reponatur. Aërem poſteà refundes ad ſuam terram, & in fimum repones ad digerendum dies quindecim: & extracto vaſe deſtillabis aërem & ignem ſimul per cineres, & per fimū aut balneum vnū ab altero ſeparabis, quouis cum ſuo ſimili poſito ſemper. Iſtas affuſiones, inhumationes, deſtillationesque toties repetes, donec à terra nullus ignis exire velit amplius, terraque nigra ſit aut ſubruffa. Tum demum aërem in fimum ad digerendum pone per octo dies, & per eum calorē poſtea deſtilla quantū aſcendere poterit, hoc ipſum ad ſuas affunde feces, ac ad inhumationem in fimum per ſeptimanam recondas, & poſtea fimo deſtilles, iterum quod ſtillatum eſt fecibus reddes, ad ſeptimam vſque deſtillationem cum ſuis inhumationibus, & poſtea deſtilla per fimum: quod deſtillatum eſt redde fecibus, id etiam facias vſque ad ſeptimam deſtillationem, affuſiones, inhumationes & deſtillationes reiterando per ſuos dies, vti dictum eſt. Hactenus formatus eſt triangulus ex aëre, cœlo & fimo, in cuius medio eſt anima aëris. Prædictis etiam operationibus in fimo, conuertere poteris ignem

in animam ignis, aliumque triangulum ex cœlo, fimo & igne formare. Quibus omnibus peractis, elementalis rota finita eſt fixione & eorum exuberatione, ſcilicet aëris & ignis per corruptionem, &c.

Tandem accipe terram, & euacuabis eam, donec deſerta ſit ac in ſulphur naturæ conuerſa, formeturque triangulus ex terra, fimo & cineribus, in cuius medio ſtabit anima terræ. Non priùs corruptionis rota finitur, cuius inſtrumenta ſunt cœlum, fimus, furnus ſecretus, & cinerum calor, &c. Iam aggredienda eſt generationis rota vt ſequitur. Ad compoſitum ex igne & aëre ſume, ad ſolem quatuor partes ignis, & miſce cum quindecim partibus aëris, hoc in digeſtionem repones diebus quindecim, poſtea deſtilla per fimum. Hanc digeſtionem atque deſtillationem toties reiterabis, donec in fundo vaſis maneat inſtar olei ſplendidi ſubſtantia quædam, in compoſitum vnum ex aëre & igne, quod Limus vocatur. Eodem hoc proceſſu conuertes ignem & terram in ſuum cõpoſitum, vt binus formetur quadrangulus, prior ex igne, aëre, fimo & cineribus, in cuius medio compoſitum ex igne & aëre iubilabit. Poſterior ex igne, terra, fimo, & cineribus etiam, cuius in medio ſtabit compoſitum ex terra & igne. Iam accipe compoſiti partem ex igne & aëre, cui cœli ſextam admiſcebis, ac in digeſtionem pones diebus triginta, ſic triangulum forma-

formaueris ex cœlo, compoſito ex igne & aëre, fimoque, in cuius medio perfectum hoc maius reperitur ad rubeum transformans, ortum & originem ex cœlo ducens, & compoſito ex igne, aëre fimoque. Hoc ipſum ex compoſito ex terra & igne quum feceris, ei partem vnam cum dimidia cœli iungendo, triangulum habebis alterum ex cœlo compoſito ex terra & igne, fimoque, in cuius medio perfectum ſtabit minus ad album tranſmutans, &c. Si verò cœlum admiſcere nolueris, vt ingentem laborem euites, compoſitis antea datis, elementa cerabis tam diu donec fluant vt cera: ceratum hoc in digeſtionem decem dierum ponas, extractumque cerabis iterum toties, gutta poſt guttam iniecta, donec facilè perceperis in eo liquationem. Materiam hanc in vaſe philoſophico perquàm optimè clauſam. in furnum ſecretum pones, ad centum & quinquaginta vel plures dies, donec videas opus completum ex indiciis infrà poſitis. Hic proceſſus eſt optimus in practica maiore, per minoris methodum operis. Animaduerte cerationem cum igne & aëre, fieri poſſe diuiſim ante cerationem ipſis in vnum non redactis. Finitur itaque generationis rota, per quam optatum acquirit, annuente Domino, bonus artifex. Ex his duobus limis varia fieri poſſunt in opere metaphyſico, iuxta latitudinem eius, vt in regali practica primùm, & in cerationis artificio terræ foliatæ pro-

priæ ſeu elementorum, cerando priùs aëre & igne, vel dictis limis ex aëre & igne factis: *in quo* quidem artificio generationis rota ſuum habet extremum, & finem, cuius indicium eſt nobis triangulus rubeus. Initium igitur operis eſt corruptio, generatio verò finis: quibus operationibus corrumpitur vna qualitas, & introducitur per generationẽ alia, velut corrumpendo aquam & generando terram: hanc autem occultando, & ignem aëreḿque manifeſtando, quouſq; minus maiusq́; perfectum oriantur per media ſua, quæ ſunt calores fimi, cinerum & furni ſecreti, quibus aqua in terram conuertitur, & hæc in aërem & ignem. Eſt ergo terra medium inter aquam, ignem & aërem: & fimus, cineres, furnusque ſecretus medium exiſtunt, per quod ignis & aër conuertuntur in animam ignis & aëris. Quapropter ignis & aër ſunt mediũ inter ipſam terram, animam ignis, & animam aëris. Deinde fimus, cineres, furnus ſecretus, & cœlum ſunt medium per quod anima ignis, & anima aëris conuertuntur in compoſitum ignis, & aëris, & in compoſitum terræ & ignis. Hac ratione cœlũ eſt medium inter animam ignis, animam aëris, cõpoſitum aëris & ignis, & compoſitum ignis & terrę. Fimus item, cineres, & furnus ſecretus medium ſunt, per quod compoſitum ex igne & aëre, item compoſitum ex terra & igne coniunguntur elementis. Pariter ignis & aëris compoſitum,

tum,& compoſitum ignis & terræ medium ſunt inter animam ignis , animam aëris , minus & maius perfectum,&c.

## *De peculiari practica lapidis ex opere minore.* CAP. VIII.

COrpus metallicum in clauem iniice philoſophicam ſuo vaſe contentam , & in calore primi gradus vel fumi digeri permitte ſeptimanam vnam:at priuſquam in clauem iniiciatur, in calcem redigendum eſt, vt corpus diſſoluatur meliùs, & euacuetur medio clauis , & caloris primi gradus ex triangulo , iuxta naturalem ordinem. Facta corporis diſſolutione , vas ponatur in deſtillationem calore dicto iam excitatam,& amittet clauem , ac redigetur in terram. Hanc ſuper marmoreũ lapidem optimè tritam in aquam reſolui ſinito per ſe : at ſi nimiùm ſicca terra fuerit, aſpergatur claue modicùm, & poſt dies tres incipiet in compoſitam aquam reſolui, quatuor elementa cõtinentem. Aquam hanc deſtilla per filtrum & reitera ſolutionẽ eius quod in filtro terræ manſerit, quouſq; tibi quantitas aquæ bona eſſe videatur. Hac operatione triãgulus euacuationis fuerit abſolutus,in cuius medio terra eſt,quę ſuam aquam ebibere debet , vt ſequitur. Aquam filtratã in calorem primi gradus ad digerendum ponas,& clauem eiiciet prorſus, ac in lapillos cõuertetur:qui quidem elixir adhuc non ſunt. Euacuatione prædicta triangulus alius abſoluitur

ex aqua, calore primi gradus & claue, cuius in medio dicti lapides existunt. Istos contere subtilissimè, puluerem eorum in putrefactionem pone, sic in aquam vel oleum conuertetur metallicum, in quo sunt elementa quatuor, quorum diuide qualitates, vt audisti. His diuisis, purifica terram, aut subtilissimam debitis redde sublimationibus, eamque demum suis elementis imbibe, cœlesti primùm, aërea pòst aqua, & ignea postremò prout est artis, ac decoquantur in perfectionem quam audisti. Iuxta processum hunc extrema principia mediaque huius artis, applicantur ad quod volueris opus metaphysicum.

## *De coherentia metaphysicarum operationum vtriusq; practices.* CAP. IX.

MIrum in modum cohærent horum operum instrumenta, media scilicet intellectualia sensualibus, vt forma quæ personam refert artificis instrumentum existentis, quo natura particulare nostrum generat ouum ex intellectu, licet à forma nostra quàm cœlum aliâs vocamus distinguenda sit, nihilominus hæc illa sine persistere non potest in artificio nostro, nec contra. Nam forma nostra cœlum, est principium & sensuale medium generans, nutriens, crescere vel vegetare faciens, & elementa mouens ad particularem generationem, sicuti cœlum maius inferiora: & à formante forma, quam per vegetabilem for-

formam acquirit, indiſſolubiliq́ue nexu coniunctam & colligatam ſibi habet, particulare quæſitum in ſubſtantiis extrinſecis multiplicare facit: ſic de cæteris quàm plurimis in artis proceſſu reconditis, artifici cognitu poſſibilibus & effectu. Verùm forma quæ hominis eſt intellectus, initium eſt, medium & finis in præparationibus, eaq́ue denotatur croceo colore, quo quidem indicatur hominem eſſe maiorem formam, & principalem in hoc opere metaphyſico, formæ cœlo potiorem. Aliæ verò formę ſunt minores iſtis, vt maioris minorisq́; perfectionis exiſtunt. Crocei cum viridi colore permixtio coæquata, ſignificat, inter omnes iſtas formas neceſſariò concordantiæ, maioritatem vel minoritatem eſſe, citra contrarietatem in æqualitate finis vltimati. Non poteſt enim vna trium formarum abeſſe, quin deficiant omnia ſimul. Deficiente namque cœlo, deficeret elementorum generatio, ſequereturq́ue priuatio maioris minorisq́ue perfectionis. Forma igitur intellectiua, cum forma vegetabili, & forma motus ita coniungi debent per intellectum, vt vna penes aliam conditionetur: ſic de reliquis gradibus & mediis vſque ad maius perfectum. Forma quæ motiua nuncupatur, eſt vniuerſale quoddam principiū in gradibus iſtius artis, per omnes gradus vnumquemque mouens ad alium, in finem vſque. Motus itaque forma dici poteſt, omnes gradus excitans ordine, donec

ad perfectionem deuentum sit. Forma & materia sunt principia substantialia multò maiora, quàm accidentalia sint: hæc enim sunt mutationes tantùm in opere, sicut colores, alteratio, digestio,&c. Veritas huius rei demonstratur potiùs per minus & maius perfectum, ab immensitate virtutis eorum transmutantis quàm in gradibus accidentalibus. Nihilominus æqualia sunt principia, media, finisque dicta. propter similitudinem finis eiusdem, ad quem omnia tendunt per catenam admirabilem.

## *De practica philosophici lapidis excellentissima.* CAP. X.

FOrmantium corporum alterum accipe, mercurio vulgi, & sali communi permixtum & calcinatum. Argentum hoc ab eo sublimetur, aut in aqua viuum vt scis recipiatur, & sal aqua diluatur calida. Postmodum elementorum diuide qualitates, & ad cœli nostri libras tres, adde minoris formæ duas vncias, ad maioris verò formę duas vncias cum dimidia cœli mediã libram accipies, ex eisq; facies coniugium, ad mixtionẽ in vase perquàm optimè clauso pones, & continuo calore fouebis, donec per dissolutionem in alterationem transeat, ac alius color incipiat oriri, scilicet niger non prorsus, at in modum obscuri mali granati. Hoc signo iudicabis formam vel formam, & cœlum transire per alterationem, ge-

neratio-

neratione m,& operationem,ac amoris colligantiam, aut vinculum esse factum inter formam in cœlum conuersam, & hoc in illam. Deinceps continuando semper decoctionem temperatam, incipientibusque forma & cœlo, digestionem & generationem ingredi (quę quidem operationes durant per suos colores vsque ad minus perfectum) niger ille color mortificatur, & continuatione fomenti color albus oritur. Quum sub isto colore singula fuerint, indicium hoc est, ossa neruosque pueri, vel infantis nostri cum tertio numero coniungi: quæ tamen operatio durat vsq; ad croceũ colorem. Hoc apparente, signum est infantis corpus formatum esse, nec non suis organis completũ, incipereq; præparari, vt spiritus vegetabilis ingrediatur in ipsum: & hæc operatio durabit quoad in præparatione color croceus euanescat, & rubeus oriatur. Quo tandem orto, iudicabis infantis corpori vegetabilem animam inesse, nec non eius corporis & animæ terminationis adesse finem. Tum demum artificem oportet interstitios numerare dies inter generationis initiũ & finem, quos cognoscere poterit ad oculũ à dissolutionis actus fine cõpleto: bisq; tanto tempore continuo ab ignis administratione minimè cessare, finitoq; spacio frigefieri permittere. Iam inueniet infantem nostrum in modũ oui, quem extractum atq; mũdatum ponat in vas vitreũ & mundum, & iterũ in furnum

decoctionis, qui balneum eſt ſiccum, per ſex dies naturales, ignem adminiſtrando ſucceſſiuè per eundem vt antea modum, vtque manum vix tenere valeat abſque læſione, vbi vas poſitum fuerit. Extrahe poſt modum, & precioſiſſimè ſerua donec indigueris. Huius pondus vnum ſuper duo millia proiectum, in ſubſtantiis externis multiplicare generareque ſimilem formam ei, de qua duxit originem, potens eſt. Multiplicationis aliud arcanum habetur hoc nempe. Dicti menſtrui libram vnam vnciis duabus dictæ formæ vel formæ, vel duabus cum dimidia, iuxta prædictam conditionem, & perfecti minoris vna drachma ſolùm imbues, eiſdem operationibus vt antea, ſpacio triginta dierum in maius perfectum couuertere poteris igne temperato, ac regimine colorum iuxta magis & minùs, &c. donec videris corpus rotundum & rubeum: ſi tamen opus ad rubeum fuerit: at ſi ad album, cum albedine metalligena. Notandum eſt igitur, diuerſos eſſe colores infantum horum, vt maſculi maiorisque perfecti rubeum: fœminæ perfectique minoris albi, colorem primò viridem rubore permixtum: ſecundò croceum etiam rubedine ſplendida mixtum, qui denotat coniunctionem partium cum ſuo toto: tertiò quidem album & ſplendidum, qui ſignum terminationis eſt corporis infantis: quartò verò album, niueum, & metalligeneo colore mixtum, & hic ingreſſum

greſſum denotat animæ ſuum in corpus. Iſto colore tinctus à ventre matris naſcitur infans, cuius pondus vnum ſupra tria millia materiæ proiectum ſpeciem ſuam poteſt multiplicare: tertia repetitione ſuper millia trecenta. Iſtius, vt prioris perfecti maioris, etiam fieri poteſt multiplicatio. Notandum eſt, in opere aſſignari non poſſe metaphyſicè chymico, certum aut determinatum ſpacium temporis. Nam aliquando noſter infans oritur citiùs, quum videlicet calor per accidens æquo fortior extiterit, & aliquando tardiùs ob remiſſionem eiuſdem, vt apparet in humano fœtu. Colores optima ſunt indicia huius artificii, quibus etiam regi debet. Vt quum infans metaphyſicus fuerit in diſſolutione, totuſque liquefactus, incipit oriri color niger, eo iudicabis ipſum in mixtione eſſe, tranſiuiſſeque per alterationem. Et poſtquam apparet croceus color, formatum eſſe corpus exiſtimabis, membrisque ſuis completum. Apparente verò colore poſtremo, rubeo videlicet, corpus cum anima iunctum eſſe ſcito. Quo percepto, continuandus eſt ignis, vt ſuprà dictum eſt, ad ortum vſque. Prout hîc de coloribus infantis rubei dictum eſt, non ſecus de coloribus infantis albi iuxta ſuas qualitates intelligendum erit. His indiciis artifex opus metaphyſicum aggredi poterit abſque metu, feliciterq; perficere. Deo tamen annuente, non aliter.

## *De practica lapidis philosophici minùs ardua.* CAP. XI.

CViusuis corporis calcem accipe, huic in philosophicum vas longi colli positæ, succũ philosophicæ clauis affũde, quatuor vt supemineat digitis. Postea super cineres igne lento calefactos leniter bulliat naturali die: postmodum in fimo calido balneóve meliùs vt digeratur, materiáque per subtiles partes separetur, puras videlicet ab impurioribus. Termino finito vas eximes, à quo per modestam inclinationem, suis ne turbetur fecibus, claram in aliud aquam effundes, cooperтoque vase repositum liquorem in fimum rursum ad digerendum ponito: facta postmodum euacuatione, clauem aliam priori similem affunde, vt superemineat sicut antè diximus: bullire facias, & in fimum reponas, vt priùs, &c. Toties operationes huiusmodi reiterabis, donec à suis spiritibus corpus euacuetur. Si tibi clauis defecerit, euacuationum aquas omnes per alembicum destillabis igne lento, balnei nempe, donec duas euacuationis partes habeas. Huius aquæ tantam quantitatem, vt suprà dictum fuit, ad materiam affundas, continuando processum hunc, donec terra sit vacua: quod sic experieris: Terræ parumper istius ad Solem siccatæ priùs ponito super laminam ignitam; si fumum emiserit, operationes dictas iterato, quousque non fumet ampliùs. Euacuationis aquas humido

mido calidoque loco repones, vt ſeruentur meliùs.

Mox atque feceris huius experientiam, extrahe materiam ab ambulla, & in cucurbitam poſitam, alembico ſuperpoſito per deſtillationẽ exſiccabis. Pondera pòſt exſiccatam hanc terram, cui clauis optimè rectificatæ vt ſcis triplum affundes, & è cucurbita galea ſua roſtrata cooperta, necnon ad commiſſuram optimè lutata, deſtillabis igne lentiſſimo, donec iterum ſiccetur vt priùs, & claue priori ſimile rurſus madefiat vt antea, deſtilleturque, ſingulis deſtillationibus congregatis in ambulla clauſa, &c. Has operationes toties repetes, donec in puluerem ſubtiliſſimum & inter digitos vix perceptibilem terra ſit redacta. Deſtilla poſtmodum euacuationum aquas omnes per alembicum, & Mariæ balneum, donec in fundo vaſis materia tanquam cera fuſa, vel mellis inſtar appareat. Frigente balneo, rurſum ad materiam affunde, quam per deſtillationem abſtraxeras aquam, vt quatuor digitis emineat ſuper eam, & expone digeſtioni fimi vel balnei per diem naturalẽ, clauſo vaſe tamẽ. Deſtilla poſtea per alembicum vt audiſti, & frigente vaſe rursũ abſtractam aquam redde materiæ, digere, deſtilla, redde continuaq; reiterationes proceſſus huius, quouſq; perceperis totam vnà cum aqua materiam aſcẽdiſſe. Hæc materia lac virginis vocatur à philoſophis, & argentũ viuũ exubera-

tum. Tandem accipe tertæ prædictum puluerem ſubtiliſſimum, & madefac ſui medietate ponderis aquæ ſuperiùs poſitæ, caloreque fimi digeri facito per dies octo: quibus finitis, vt priùs deſtilla per alembicũ aquam à terra, lento quidem igne. Pondere huius iterum cognito, ſuperfundatur aqua iam recepta, ſupplendo ſi diminuta ſit per priorem exuberatam, ad ponderis vt ſuprà terræ mediam partem. Has operationes omnes vtpote humectationes, digeſtiones, & calcinationes, vel cõgelationes reiterato continuatoque, donec terra medietatẽ ſuæ humiditatis ebiberit, aut ſatis. Hoc ita cognoſces: quum tantillũ eius terræ nempe ſuper laminã ignitã poſitæ prorſus in fumum euolauerit, bene eſt: ſin autem, operationes prædictas reitera, donec ſignum hoc iam dictum aſſequutus fueris. Quo quidem percepto, pone ſuper cineres ad ſublimandum in phiala, modico primùm igne: tandem aucto paulatim & ſucceſſiuè, quouſque totum ad latera vaſis aſcendat, exaltataque materia fuerit in ſal admirabile, quod philoſophi lapidem, & naturæ *ſulphur* vocant. Iſtud oleo perfectorum eſt inceradum, donec vt cera facillimè fluat. Medicinam habebis tum demum perfectam, cuius pondus vnum ſuper centum ſtanni pondera, ſi ſal *Iouis* extiterit, vel ſuper quinquaginta plumbi, ſi de Saturno fuerit, in opus hoc ipſum euadet perfectiſſimum, quouis naturali perfectius. Oleum namque

namque perfectorum, virtutem habet fixatiuam in omnia, ex imperfectis tracta ſalia quæ diximus. Perfectorum demum limatorum, aut foliatorum vnciam vnam accipe, calcinatorum vt ſcis, ex his quæ nudè ſuprà diximus. Ex his extrahito ſuam humiditatem, id eſt, ſuum argentum viuum, clauis per ſuccum philoſophicæ, prout antea narratū eſt. Quo peracto liquefactionis aut euacuationis artificio, vas in quo liquefactiones omnes fuerint, alembico ſuo coopertum ponatur in balneum, & ex eo totus humor deſtilletur, vt in fundo cucurbitæ materia tamen viſcoſa maneat, mellis inſtar liquidi ac deſpumati viſcoſa. Frigefacto vaſe, clauis affunde philoſophicæ tantum ad materiam hanc liquidam, vt ſuper eam emineat quatuor digitis, & in digeſtionem fimo vel balneo factam pone diem vnum integrum, aut naturalem. Et frigente pòſt vaſe, diſſolutum per liquefactionis artificium, in aliud vas inclinatione modeſta vacuato. Poſtmodum vas alembico ſuo coopertum in balneum ponito, lentoque igne materiam exſiccato: ſuper quam iterum aquam iſtam, & clauis tantum recentis natare facito quatuor digitis, vt ſupra. Digeſtioni demum antea dictæ per diem ſimilem exponito, factaque digeſtione ſolutum euacuato. Reiterabis toties operationes iſtas, donec materia tota ſit in aquam claram conuerſa. Deinceps aquam hanc in digeſtionem octo diebus pones, à

qua poſtmodum elementorum qualitates vt ſequitur extrahes. Primò per ignem balnei ſuauiſſimum recipias aquæ tantum, ac iſto calore poterit aſcendere. Deſtillatione hac ceſſante, frigenteq; vaſe, refunde liquorem totum iam deſtillatum ad ſuas feces, & obturatũ vas hoc ipſum cõtinens in digeſtionẽ ponito fimi vel balnei. Poſtea per cineres, & ignem ſerratura conſtructum in furno regiſtris gubernato, deſtilla totum oleum quod iſto calore poterit aſcendere. Deſtillatũ hoc iterum deſtilla calore balnei: quod aſcendit, aquã appellant nonnulli; quod autem in fundo remanet, aërem. Deſtillatam aquam iſtam ad feces affunde rurſus, & in digeſtionem dierum ſeptem priùs poſitum, ab eaq; tractum igne lento primùm, donec aqua tota per alembicum transierit: poſtmodũ ad quartum gradũ aucto, quicquid liquoris fuerit, ſurſum pellito, quouſq; ſiccus & impalpapilis in fundo cucurbitæ puluis (vbi tritus marmore fuerit) maneat. Liquorem autem in balneo poſitũ eo calore deſtillabis, donec aſcendere quid valeat: finita verò deſtillatione, manebit oleũ in fundo vaſis, quod ignem appellant, aliũq; liquorẽ balneo pulſũ aquam, &c.

Peracta quidem euacuatione hac, ad prædicti pulueris pondus, medietatẽ ſui ponderis argenti viui, prędicti ſcilicet, addito per imbibitionẽ & in vaſe clauſo pones in fimi, vel balnei digeſtionẽ diebus octo. Digeſtionis huius tempore finito,

ſingula

ſingula perfice,prout in aliis reductionibus dictũ fuit: hoc notato, quòd materia quælibet propriũ ſuum argentum viuũ habeat. Sublimatione completa, quod ſublimatum eſt cùm ad vaſis latera, tum ad ſummitatem eius in cucurbitam optimè clauſam pone ac in fimũ calidum vel Mariæ balneum digerendũ octo diebus: quibus cõpletis,vbi materia nondum ſoluta fuerit,maneat ampliùs,quouſq; in clarã aquam reſoluatur,quę dicitur vnguentũ & oleum philoſophorũ.Si fortè reſolutionis durioris extiterit, parũ adde ſalis iam cogniti,bis térve diſſoluti & congelati,quod cœlum eſt noſtrum, & clauis philoſophicæ rectificatæ quater,& ſoluetur optimè. Hoc ipſum in omnibus tuis facito reſolutionibus.

Poſtremò ſalis cuiuſuis metalli tigillo ſuper cineres calefacti , portionem aliquam oleis iam dictis incerabis,gutta poſt guttam infuſa , donec ad ſpiſſitudinem frigidi mellis reducatur. Amoue tum ab igne,huiuſque maſſæ parum admoue candelę flammæ,ſi facilè fundantur,optimè quidem:ſin minùs,inceratione iterato, donec materia fluat ante Mercurii fugam,&c. Iſtam inceration em etiam facere poteris perfectorum eſſentia quinta , modo qui ſuprà dictus eſt. Olea prædicta ſunt incombuſtibilia. Labora diligenter igitur, & perfectionis horum veritatem immunem à fallacia reperies.

*De modo cœlum, aut clauem extrahendi philoſophicam à vegetabilibus vt melle nouo, chelidoniæ, floribus, humano ſanguine, necnon vtroque vino.*

CAP. XII.

TRactis artificio dicto qualitatibus elementorum à vegetabilibus, ab eis præſertim quæ ponentur inferiùs, eorum ignis tantùm accipiatur, & rectificetur eo modo, quo de vino philoſophico dictum eſt. Hac via Mercurius noſter exaltatione ſumma præparatus erit. Mixtio tamen fieri poteſt cœli noui mellis, chelidoniæ, florum roriſmarini, Mercurialis, lilii rubei, ſanguinis humani, &c. cum rubei vel albi vini cœlo vel tartari. Mixtio fieri poteſt etiam eorum quæ dicta ſunt, in cœlum redactorum æqualiterque ſumptorum, cum formis iuxta pondus in hoc Opuſculo declaratum, & ſecundùm ordinem doctrinæ maioris operis atque practicam, ad minus perfectum opus hoc perduci. Indeque fieri poteſt alia mixtio, cœli nempe cum claue philoſophica, generationis artificio dicto. Poſtmodum addatur minùs perfectum ſupradictum, iuxta proportionem operis maioris, & hac via tranſitur ad maius perfectum, quod ſuam ſpeciem, in ſubſtantiis externis, bis quinque numero milibus multiplicare poteſt, &c.

*Alius practicandi modus.*

Quorumuis eorum quę dicta ſunt in mixtionem

nem cœlum,cum cœlo vini rubei vel albi, tartarí ve per magiſterium tracti ſeparationis qualitatum ab elementis, cumque forma vel forma poſitum, iuxta maioris operis doctrinam , obſtructo vaſe ne cœlum fugiat,calore continuo balnei coquatur intermiſſione ſine per dies aliquot. Poſtmodum aperto vaſe , cum cœlo formaque dictis , de quorumlibet aëre dictorum ponatur, pro ſecunda cœli parte,coquaturque tot vt antea diebus. His etiam finitis,rurſum aperto vaſe,de cœlo ignis quorumlibet eorum pones tantum, quantum vini cœlum fuit: obſtructoq; vaſe rurſus cõtinuo calore coquatur per alios dies quindecim. Completo mixtionis artificio,tranſmutari mixta videbis in minus perfectum , coloribus mediantibus,iuxta quos artifex opus gubernare debet , quouſque ad perfectiſſimum opus maius perueniat,quod ſpeciem ſuam in externis ſubſtantiis tranſmutare, multiplicareq; ſui ponderis millibus ter valeat,&c.

## *De vniuerſalitate Mercurii philoſophici.*

### CAP. XIII.

QVauis in elementata re Mercurius noſter habetur:in aliqua tamen ita remotus eſt,vt vita priùs humana deficeret , quàm ab ea ſeparari queat:in alia verò tam propinquus , vt facilimæ ſit extractionis , prout in illis quæ ſuprà capitulo proximo dicta ſunt. Aliqui ſcientes arcanum

hoc, nempe Mercurium ineſſe quibuſuis, à lapidibus, paleis ſiliginis, floribus, & lignis extrahere conati ſunt, at fruſtra, potiuſque vitæ ſuæ finem, quàm intentionis attigerunt. Nonnulli proxima cœperunt, vt gelidoniam, flores roriſmarini, mercurialem, lilium album, & ex eorum ſuccis per balnei fimiqúe magiſterium, noſtrum extraxere Mercurium, colore, pondere, qualitate, quãtitateq; non abſimilem à mercurio vulgi: maximum itaque ſecretum inueniſſe putantes, cum coroſiuis eum ſublimarunt, ac naturam ipſius corruperunt: quo factum eſt vt opinionis finem ſuæ minimè ſint aſſequuti, quòd artis iſtius ignorarent principia, mediaque, necnon extrema, quibus mediantibus opus metaphyſicum noſtrũ abſoluitur. At ſi tu Mercurium noſtrum in tali ſpecie conuerſum, aut vulgarem acceperis, & ipſum abſque materiali quouis in aquam reduxeris (quod fieri poteſt, cùm phlegmate medii, ſi aërẽ eius ei dederis infra vas) & ſepties deſtillaueris, lumen perlarum habebis: nam hoc eſt earum pars ætherogenea, quæ lapidis noſtri conditione caret. Cauendum eſt igitur ad artem noſtram tranſmutatoriam, talem fieri mercurii ab indiuiduis extractionem. In nonnullis indiuiduis Mercurius noſter liberum quodammodò habet actum, vt in tartaro: patet ex operationibus aurifabrilibus, quum in Venere Lunæ quidpiam fuerit, & in album vinum hoc ponatur,

vel in

vel in eius animam, Lunæ tincturam ad ſuperficiem adducet vis mercurii noſtri. Quo reuelatur vinculum eius concordantiæ cum Luna: Meliùs vbi Venerẽ ignitã extinxeris in tartaro, per vinũ albũ diſſoluto, contrahet albedinem: at non eſt color iſte permanens, quia deficit ei ſubiectũ ſpirituale fixum, &c. Fit etiam aliud experimentum eius, vbi Mars in ſolutione prædicta ſæpiùs extinctum fuerit. Solis & Lunæ mollitiem contrahit, &c

Mars namque ſiccus eſt, & valde remotus à mercurio, plus quàm alia corpora quæuis, & ſiccitas omnis vacuitatis rationem habet, quapropter in eam facilè mercurium noſtrum, qui ſummè humidus eſt, recipitur, quo ducitur in mollitiem prædictam.

Cœli verò noſtri forma eſt aliud indiuiduum, in quo duæ cernuntur operationes liberæ: Prior eſt, qua cuncta ſibi impoſita realiter conuertit in ſpeciem ſub qua fuerit ipſum. Signum hoc eſt euidens admirabilis potentiæ vegetabilis, ratione cuius in alias tranſmutantur ſubſtantiæ formas. Conſideret igitur artifex quidnam operari valeat, forma ſua nudatus, aliaq; formatus vbi fuerit noſter mercurius. Eſt & alia quidem operatio pariter euidens, vt cùm ea forma perfectorũ corpora terantur ſuper porphyrium, horũ vtrũque reducetur in amalagmationis formã, à qua per pannũ extrahetur mercurius, quia hic exiſtẽs.

in Sole & Luna, mouetur ad eum qui continetur ea forma, necnon econtra. Quapropter in angulo concordantiæ colligãtur ſic, vt in cœlo noſtro corpora perfecta multiplicentur, & Mercurius iſtorum nullo modo reſiſtere valeat, quin cum alio nexu naturali reducatur in amalgamæ ſpeciem. In aliis etiam indiuiduis conſignari poſſent operationes iſtæ cœli noſtri, quas breuitatis cauſa relinquimus, quòd ea quæ dicta ſunt, etiam ad earum intelligentiam ſatisfaciant. Totius magiſterii finis huius eſt, vt noſter mercurius ſit in ſphæra cœlica poſitus, aliter perperam operabitur artifex. Mirum eſſe videtur, quòd mercurius noſter in ſupercœleſti loco ſitus, colorem, pondus, quantitatem, & qualitatem non retineat, cùm hæc omnia ſint de natura ipſius: at ratio huius eſt, quia ſub alia forma poſitus eſt, quàm vbi ſub indiuiduo latebat. Modus hic etiam habetur extrahendi mercurium in hoc artificio, ſcilicet, vt vinum album vel rubeum optimum ponatur in ſeparationem, & ex eo deſtilletur ardens aqua, prout conſuetum eſt. Poſtea rectificetur ad maiorem ſubtilitatem quater, ſed ſolùm ter ſufficeret, ne ſpiritus exhalaret comburens: errarunt igitur ſepties rectificantes. Rectificationis indicium hoc eſto, quum ſaccharum impoſitum, vnà cum aqua ſimul totum comburitur, nihilo relicto. Materia hæc eſt ſubiectum, de quo trahitur eſſentia quinta, per vas quod pellicanum dicitur: fiet ope-

fiet operatione hac, vt per lineam diametralem, ſuperior pars vel eſſentia quinta ſeparetur ab inferiori, ſcilicet à fecibus turbidis, &c.

Ex tartaro poteſt etiam extrahi mercurius, eum calcinando videlicet in furno vitreatorum diebus tribus naturalibus: at magna quantitas eius ponatur, nam plurimùm imminuitur. Hoc aduſtum ſuper lapidem tere marmoreum, & ſuper eum relictum loco frigidiſſimo humidoque in aquam diſſoluetur: quæ per filtri manicam eſt deſtillanda, vaſeque vitreo recipienda. Poteris ex ea mercurium extrahere duplici via: priore ſicuti ſupra de vino diximus: altera per artificium ſeparationis qualitatum ab elementis, &c.

## *De quibuſdam annotationibus in ea quæ prædicta ſunt.* CAP. XIIII.

IMperfectorum filii corporum, ſpiritus eorum ſunt euacuati, vel eorum argentum viuum exuberatū, aut materia prima apta nata ad quamcūque formā recipiendum. Sed eſt inter iſtos ſpiritus differentia, & alios à perfectis euacuatos. Nam iſti formales exiſtunt, alii verò materiales. Item imperfecta pariter ac ipſa perfecta conuerti poſſunt in oleum, fitque hoc modo præparatio formæ & materiæ. Neceſſariò quidem ſulphur naturæ perfectorum in oleum debet conuerti, ſed aliorum non, quòd perfectorum oleo debet informari: niſi tamen omnia volueris in oleum

redigere, quò lucidius opus fiat. Oleum ſimile fit per quatuor elementorum qualitatum ſeparationem, &c.

Saturnus & Iupiter vnius & eiuſdem naturæ ſunt, quum in ſpiritum reducuntur: ergo in ſpiritum, argentum viuum exuberatum, ſulphur naturæ, tinctură, oleum, & lapidem redacti ſunt ſimiles, ipſis in quolibet iſtorum exiſtentibus extra numerum. Item ipſis & aliis omnibus antiquum eſſe retinentibus aliam naturam habent indiuiduatam, & aliam in ſua virtute ſimplici multiplicata, per viam generationis & proceſſionis in ſpiritum, ſulphur naturæ, tinctura, oleum, & lapidem. Et hoc in lapide proprius dici poteſt, quàm in aliis, quia ſubſtantia eſt multiplicata ex eorum vnitatibus, quæ quidem virtutem habent vnam ex omnibus iſtis. Quandoquidem vltimatã vnitatem quodlibet metallorum habet, quam antea quàm in lapidẽ erat cõuerſum, non habebat. Extenditur hæc vnitas multiplicatione principiorum externorum, ſic vt in ſubſtantiis dictis fiat augmentum ſuæ formæ, virtutũque multiplicatio. Sic terminat operis doctrina minoris.

Calcinatio, diſſolutio, euacuatio, multiplicatio, ſpiritus, alembicus, argentum viuum exuberatum, ſulphur naturæ, tinctura, oleum, inceratio, ſublimatio, lapis vnam conditionem habent in Saturno, aliã in Marte, in Venere item aliam, ſic dere-

ſic de reliquis. Vnam etiam Saturnus in quolibet iſtorum conditionem habet, aliam cum Ioue, aliam cum Marte, aliam cum Sole, aliam cum Venere, & cum Luna habet aliam. Item Iupiter, cum ſingulis dictorum peculiariter aliam habet conditionem in permixtione. Fit item alia conditio miſcendo Saturnum & Iouem cum Marte & Venere: vel cum iſtorum alterutro Iouem aut Saturnum, aut Venerem & Iouem cum Saturno, vel cum ipſo Marte. Hac ratione multiplicari poterunt conditiones metallorum, vnum aut plura miſcendo cum alio. Quotquot modis facta fuerit mixtio, tot variabitur conditio Lapidis.

Calcinatio rurſus æqualis eſt Solutioni, & Diſſolutio Euacuationi: hæc Multiplicationi, quæ Spiritui, &c. pro conſtitutione ſubiecti, quod lapis eſt. Item Alembicus æqualiter ſe communicat omnibus iuxta ſuum officium.

Naturæ ſulphur maius eſt, quàm argentum viuum exuberatum, & iſtud ac illud quàm ſpiritus. Opus minus abſque ſulphure naturæ fieri minimè poteſt, ab imperfectis tracto, quia deficeret medium eorum naturam ſapiens, abſente quo perfecta non poſſent imperfecta ſuam in ſpeciem tranſmutare. Hoc enim vult definitio medii, ſcilicet vt lapis componatur ex ſulphure naturæ, & argento viuo ab imperfectis exuberato, cum perfectorum oleo: ſic vt lapis

medium ſit participans ex vtraque natura, concordantiæque ratione, quam habet cum dictis imperfectis: hæc ipſi locum dant per omnes ſui partes, vt in eorum parte minima, ſit nimima pars lapidis, quas etiam partes in eis exiſtētes penetrat omnes, ratione ſuæ ſubtilitatis. Et quia materia lapidis quæ abſtracta eſt ab imperfectis, formata eſt per omnes ſui partes, & colligata formæ cuidam extraneæ vinculo quidem indiſſolubili, proprietateque vegetabili, quam à claue philoſophica recipit, ita per formam iſtam informatur, vt in minima ſui parte realiter & verè minima pars inſit eiuſdem formæ, deponuntq; ſuas antiquas imperfecta formas hac via, quæ ipſis inerant actu, vt perfectorum formas, quæ iſtis inſunt potentiâ, recipiant, ac in perfecta corpora tranſmutentur metallica. Antea dictus eſt operandi modus, cùm ſulphure naturæ de Saturno vel Ioue tantùm extracto, iam cum duobus, tribus, quatuor, vel omnibus, iuxta voluntatem operantis mixtionem fieri poſſe dicimus, prout ex eis conditionem fore lapidis cupiuerit artifex. Poſitus eſt etiam oleum ex perfectis eliciēdi modus, quorum vnus & idem eſt ac aliorum omnium, per calcinationē, diſſolutionē, euacuationē, multiplicationē, ſpiritū, alembicū, argentū viuū exuberatum, ſulphur naturæ, tinctūram, oleum, inceratione, ſublimationē, & per ignem. Quum duo volueris coniungere, ponas in calcinationem, in

nem,claue noſtra philoſophica mediante:pòſt in diſſolutionẽ, & in reliqua prædicta, vſq; ad ſublimationem, incluſiuè. Si perfecta fuerint, & in ſulphur naturæ facta, ponas in multiplicationem,& ſi nimis durum extiterit, affunde ſanguinis menſtrualis aliquam portionem, vt in oleum conuertantur.

Nota quòd metallorum elementa per mercurium vegetabilem ab eis tracta, materia prima dicitur eorum, ad genus generaliſſimum ſuum proximè accedens,& eſſentia quinta, vel cœlum etiam appellatur ipſorum. Hæc verò materia conuerti debet (ſi perfectorum ſit) in formarum naturam, & in illam,alia ſcilicet imperfectorum natura, compoſitumque fermentum nominatur,quòd fiat ex materia prima, & metallorũ natura,& oleo,gutta poſt guttam inſtillata, poſteà mercurio noſtro naturali inceratione, quæ medium eſt,coniungens mercurium cum dicta prima materia, fitque hoc modo gumma philoſophicum.Fermentum ſimplex eſt,cui nihil admixtum eſt, vt ſunt elementa vel euacuata metalla per ſe exiſtentia ſimpliciterve ſumpta.Compoſitum eſt, quum plura ſimul & inter ſe cõmiſcentur. Qui perfectorum & imperfectorum corpora,ſpecialiter in ſui materiam primam conuertere,non ſimplex fermentum etiam habere,neque compoſitum (ſine quibus lapis inanis erit & vacuus)poterit. Terra quidem à corporibus metal-

licis in ſulphur eleuata naturæ, ſal dicitur philoſophorum vel mercurius vegetabilis , & medium extrema coniungens omnia ad vnũ finem, id eſt, cœlum formæ , vel clauem philoſophicam perfectis corporibus : & hæc terra dicitur etiam elementa mercuriata. Minus perfectum, lapis eſt philoſophicus non fermentatus in virtute , neque in quantitate : componitur ex igne & aëre, aut ex terra & igne.

Fermentatio, eſt operatio denotans multiplicationem duplicem, ſcilicet quantitatis, & virtutis. Quantitate quum fit multiplicatio , virtus minuitur, & è contra. Fit etiam alia virtutis & quantitatis ſimul: prior, cum vulgi mercurio: ſecunda , mercurio metallorum : tertia verò , vegetabili mercurio vel menſtruo philoſophorum, &c. Fermentatio fit in abbreuiationem longi temporis ex forma, cœlo, & mercurio vulgariter intellecto. Euacuatio dicitur puri ab impuro ſeparatio.

Multiplicatio , euacuatæ rei ſuper terram ſuam eſt reductio, vt munditiæ ſpiritus oriatur.

Spiritus corporum, eſt res quæ per ſolutionem à corporibus mediante claue philoſophorum euacuatur.

Argentum viuum exuberatum ſpiritus eſt corporum aſcendens vnà cum claue , transiensque per alembicum.

Sulphur naturæ terra corporum eſt ſublimata, & in

ta,& in terram foliatam conuerſa, quæ metallorum prima proximaque materia vocatur.

Tinctura eſt, ex aëre & igne, vel ex terra & igne. Oleum eſt elementum fixum faciens ad liquationem & fixionem.

Lapis ex terra foliata, & oleo fixo in eam ſeminato, germen eſt.

Ignis lapidis conſtat ex eſſentiali corporis igne,& ex coëſſentiali menſtrui vegetabilis igne, ex quib⁹ vnic⁹ ignis cõponitur, qui momẽtanè metalla tranſmutat omnia: iuuante quidem igne prædicto vegetatiua ſua ponentia. Elementa corporum toties deſtillari debent cum ipſo menſtruo ad magnum lapidem, quouſque ſint fixa, & menſtrui nihil appareat cum eis actualiter. Vt ex dictorum conditione proprietateque oriatur ignis, fulgoris inſtar metalla quæuis imperfecta ſubitò comburens, eisque formam aliam inducens perfectam,&c.

## *De abbreuiatione lapidis philoſophici.*

### CAP. XV.

TOta via mineralium in duabus conſiſtit aquis, prior lapidem facit volatilem ſine labore,ſineque periculo, poſterior fixat eum, & cum eo fixatur cum periculo. Quia hæc aqua trahitur ex menſtruali quodam fœtentè, immaſſato ex rebus quatuor. Hac fortior in mundo nulla reperitur aqua, mortalis eſt, &c. Maius periculũ

eſt, ne ſpiritus in ablutione fugiant. Breuiori tempore producitur, quàm cæteri lapides.

Animalis eſt, qui vix finem habet, ob regimen elementorum, & maior in eo ſcientia, quàm in alio quouis lapide conſiſtit. Lapis vegetabilis, quanquam prolixus admodum exiſtit, ſupremæ compoſitionis etiã, debet nihilominus animalem ſequi lapidem quoad rarificationem elemẽtorum, & rectificationem: & ita præparatus efficacior eſt animali.

Eſſentia quinta, ſpiritus eſt in lapide minerali mortificatiuus & viuificatiuus.

In animali, ſumma quandoque medicina corporibus humanis exiſtit, vt ſi tracta ſit ex ſanguine potiſſimùm.

In vegetabili tamen lapide, ſpiritus eſſentiæ quintæ, & reſtitutio iuuentutis ineſt, & corporis humani ab omni corruptione conſeruatio.

## ABBREVIATIO.

Recipe ardentis aquæ rectificatæ lib. 2. & fermenti vnc. 1. pone in pellicanum, & in digeſtionem dierum viginti vel vigintiduorum: denſabitur ſpiritus eſſentiæ quintæ per fermentum, & in lapidem conuertetur. Poſt congelationem, in fimo vel balneo ſolues per noctem vnam, & congelabis iterum. Hoc ter fiat vel ſæpiùs, donec ampliùs coagulari nolit, at ſicut oleum remaneat. Albo cum fermento non ita citò ſoluitur, ſed coagulatur citiùs. Iſta medicina tranſmutat non aliter quàm

liter quàm fuerit eius fermentũ,& non altiùs. Si cum propria terra fermentaueris,vniuerſalis erit medicina,non tam efficax tamen,atque cum fermentorum altero. Si in prædicta aqua, decima deſtillatione peracta,ſolueris aurum,& poſtea ſiueris aquam euaneſcere lento calore vel igne, hoc ipſum loco demum humido repoſueris, per ſe diebus quatuor in aurum potabile ſoluetur, ad humanæ ſanitatis conſeruationẽ. Et ſi cum eo mercuriũ ſepties ſublimatũ cũvitriolo, vt vna ſit auri pars,& argenti ſeptẽ eius. Poſtmodum ſublimaueris toties,donec mercurius figatur, medicinam habebis tingentem & penetrantem,&c.

Si huius auri ſit diſſoluti pars vna,ponatur in ignem lentum per ſe diebus octo , cum centum partibus mercurii,mixtum hoc totum in aurum congelabitur. Hoc ipſum ex parte ſpiritus aquæ prouenit,quæ in auri ſolutione.

Cum eo fixatur inſeparabiliter.Poteris hac via miſcere mineralia vegetabilibus , & ex eis facere medicinam,hoc modo ſcilicet. Vegetabili deſtillato lapide vſque ad eam deſtillationem , qua toto priuata ſit phlegmate , quod in quinta plerunque ſolet contingere. Accipe vitrioli perlucidi boniq́ue,cum æquali cinnaberis optimæ terito pondere , ſoleq́ue ſiccati ſinito poſtea carbonibus , donec omnis aquoſitas abſumpta videatur. Affunde tandem aquam, & igne lento priùs deſtilla,pòſt aucto paulatim , vt in aqua philoſo-

phorum acuta ſolet fieri. Spiritus eſſentiæ quintæ vitrioli, & cinnaberis vel antimonii, qui lapidem potiſſimùm conſtituunt mineralem, cum ſpiritu quintæ eſſentiæ aquæ noſtræ ardentis benedictæ miſcetur, qui ſpiritus eſt anima lapidis vegetabilis: & hoc decies continuato (puta poſt quintam deſtillationem) hoc eſt, cum iſta mixtione ſemper noua materialia ſint appoſita & optimè ſicca priuſquam in aquam iniiciantur. Poſt decimam deſtillationem, impone aurum pondere ſupradicto in lapide vegetabili per ſe, & furnum philoſophicum collocabis: decẽ diebus complebitur fixatio tota, quæ in vegetabili per ſe vix in vigintiquinq; cõpleretur: quia ſpiritus vnus alium denſat. Excellentiſſimum opus eſt hoc ad Alchimiã tranſmutatoriam, non ad medicinam. Facta fixatione, procede ad ſolutionem in balneo per ſe, vt in vegetabili per ſe dictum eſt. Notandum erit, hunc lapidem ex mixtis non ita citò ſolui, prout vegetabilis per ſe: verùm citiùs quàm lapis mineralis per ſe. Tenet ergo medium ſolutionis, quia fit nouem diebus.

Oportet reiterare ſolutiones iſtas & congelationes ſæpiùs, vt medicina meliùs penetret. Ex plumbo philoſophorum extrahitur oleum aurei coloris, quo cum ſi mineralem vel mixtum, aut animalem poſt fixationem primam ſolueris, tribus aut quatuor diebus, vel vicibus, lapidem, excuſaberis à labore ſolutionum & congelationũ.

Si bene

Si bene hoc ſciueris ab aqueitate ſeparare, iuxtaque modum operatus fueris mixtionis antea poſitum, poteris diebus triginta lapidem abſoluere. Hoc autem oleum in vegetabili per ſe non eſt neceſſarium, quòd in eo ſolutiones citò fiant: ſi tamen ibidem fieret ſublimatio, credo lapidē ampliari poſſe.

## *De precioſorum lapidum fabricatione per metaphyſicam artem.* CAP. XVI.

MErcurialem aquam extrahe, id eſt, mercuriū noſtrum in quintam eſſentiam vegetabilem reſolue. Hanc in duas partes diuide, quarum vna ſit quarta pars eius, altera verò tres quartę. Trib⁹ è quartis vnam accipe cum dimidia, necnon primę quartæ mediam partem, quæ ſimul totius mediam partem efficiunt, & ita manebunt tres octauæ ſub terram ſepeliendæ, & vna octaua pars aëri cum cæteris, prout audietur, exponenda. In alterius mediæ partis aliquota parte, ſolue Lunæ partem aliquam, & poſtquam ſoluta fuerit, ſolutionem iſtam deſtilla per filtrum. Quod ſolutum eſt ſerua. Si quid in manica filtrea fecum remanſerit, abiice tanquā inutile. Reliquos planetas omnes in aquæ mercurialis reſidui parte conueniente ſolues, & cum eis vt priùs de Luna dictum eſt, facies. Quamlibet ſolutionem filtratam per ſe deſtillabis iterum in balneo mariæ, vaporoſo tamen, donec tota humi-

ditas aſcenderit, inque receptaculum ſe receperit. Poſtmodum huius liquoris tertiam partem fecibus ſuis, quas in cucurbita reliquit, affundes, & reſolutum hoc ſeruabis, & per ſe. Deinceps ſoluti duas tertias illas in phialam longi colli pones, & tertiam cum fecibus in aliam ſigillatis ambabus Hermetis ſigillo. Tandem phialam quæ feces continet, in terram ſub dio ſepelies totam, præter extremitatem colli, quæ parum emineat: aliamque duas tertias aquæ claræ continentem in aërem pones & in altum, vt aëre tangatur, ne tamẽ aliquo lapidis iactu caſúve frangi queat. Idipſum de cæteris aliorum Planetarum ſolutionibus facies. Phialis etiam duabus includes mercurialem aquam ſeruatã, & ſigillabis vt priùs: in vna, quæ ad aërem eſt ponenda, ſit octaua dicta, & in altera quæ ſepelienda eſt in terram, ſint octauæ prædictæ ſeptem. Hoc negotio ſolutionem philoſophicam abſoluiſti. Iam ad congelationem veniendum eſt. Anno reuoluto iubeas á vitrorum artificibus duplex vas tibi confici, quod ſphæræ formam diuiſæ per medium habeat, ſuperiúsq; vas inferiori ſic aptatum ſit, vt ab eo deponi reponique valeat, quoties opus fuerit. Quo peracto, confice tibi formulas cereas vacuas, vaſorum aut cymbarum inſtar, quę liquore poſſint impleri, natareque ſuper aquam. Nonnulli has in formam, qua ſcindi ſolent precioſi lapides, conficiunt in hunc modum. Accipiunt ferrum ab vna

ſuarum

ſuarum extremitatum ſciſſum atque politum, vti lapidem fore cupiunt: hoc in oleum immergunt, poſtmodum in ceram liquefactam, & poſtremò in aquam frigidam. Vbi iam inuolutum eſt cera, circumquaque ſcindunt eam ceram, vt à ferro forma liberetur. Hac via ſciſſorum inſtar ſibi lapides parant. At ego vix credo fieri poſſe, vt exactè res fiat. Quapropter in rotundam, aut ſemirotundam formam quocunque modo ſuaderem fieri, poſtea ſcindi naturalium inſtar. Erue demum à terra phialas, & alias ab aëre depone. Deinde ſphærici tui vaſis partem inferiorẽ aqua mercuriali terrea, quę medietatem eius impleat imbues, & ſuper eam natare formas facies. Poſtmodum ſi Mercurialem, Solarem, Lunarẽ, Iouialem, Saturnium, Venereum, aut Martialem volueris lapidem, formas tuas paulò minùs imple cereas, quorumuis dictorum planetatum cœlo, hoc eſt, aqua ſua aërea: non ad ſummum tamen implebis, ne fortaſſis effluant aquæ. Tandem ſuperiori ſua parte ſphæricum vas conteges, & ita clauſum aliquot horas maneat, quouſque videris aquas in formis aliquantulum denſatas. Hoc percepto vas aperies, & formas inuertes, vt paſta fixatiuam aquam tangat. Relinque ſic in vmbra donec dureſcat in lapidem.

Sed iſte proceſſus ad artem magis tranſmutatoriam, quàm ad medicinam facere videtur, ob terræ cum cœlo ſimul infuſionem. Quò fit vt la-

pides hac ratione facti, ſint obſcuriores *illis*, qui hoc modo fabricantur.

Cuiuslibet metalli pars vel aqua terrea, vel eſſentiæ quintæ fixatiua, ponatur in vaſis inferiorem partem, & per ſe, formis quoq; ſupernatantibus vacuis, claudatur ſuperiori parte, clauſumque vas per quartam horæ partem relinquatur, vt formæ vapore quodam inuiſibili fixatiuoque repleantur. Poſtmodum aperto vaſe, formæ cœlo ſeu aqua repleantur aërea tantùm, & rurſus clauſo, procedatur vt ſuprà.

Poterunt etiam omnes aquæ terreæ in vas inferiùs mixtæ ſimul effundi, formæq; cœlicis etiam aquis mixtis impleri, procedendo ſicut priùs, & habebitur lapis vnicus Planetas in ſe complectens omnes.

Aliqui duorum, aut trium planetarum vapores antea dictos, iuxta proportionem ex arbitrio depromptã ſimul commiſcent, vt vulgariter hîc infra denominatos lapides precioſos fabricent, coloribusque ſuis adornent, hoc modo ſcilicet:

Carbunculus fit ex cœlo Solis, & ex eiuſdem aqua terrea.

Adamas ex Lunæ cœlo, & ex eius terra.

Sapphirus ex Lunæ cœlo, terraque Iouis terrę mixtis.

Smaragd⁹ fit ex cœlo Veneris, & ex terra Lunę.

Topaſius ex cœlo Martis, & Solis terra.

Hyacinthus ex cœlo terraque Martis, cum Solis ter-

lis terra mixtis.

Eliotropia, fit ex cœlo Veneris, & ex cœlo terraq́; Martis, cum terra Lunæ permixtis.

Alamandina fit ex cœlo terraque Martis.

Pallax fit ex cœlo terraque Lunæ, cum æquali pondere terræ Solis.

Berillus ex Lunæ Iouisque cœlis æqualibus, cum terra Lunæ.

Vnio fit ex vna parte cœli terræque Iouis cum partibus Lunæ cœli quinis.

Solaris fit ex cœlo terraque Solaribus. Lunaris ex cœlo terraque ſuis : Iouialis ex vtraque ſui parte: Venereus item, Saturnius, Martius, & Mercurialis ex ſuis, vt alii, partibus conſtabunt.

Multi poſſunt alii lapides ad imitationem fieri naturalium hac arte : quos recenſere longum foret. Verùm quiſque iuxta ſuam experientiam in coloribus eorum, quoſcunque volet fabricare, necnon ſi bonus mathematicus fuerit, ſuis breui temporis (vt etiam requiritur hoc loco) ſpacio characteribus inſculpere, priuſquam aſpectus repentini tranſeant, optimè poterit.

Quid aliud reſtat, præter quàm lapidum, & metallorum vires omnium diligenter inueſtigare particulares, ac ad medicinam applicare? Sapientes olim inſculptis lapidibus tempore conſtellationum, atque metallis collo tantùm appenſis, aut geſtatis, pleroſque morbos curarunt abſque ſuperſtitione. Vnde quæſo virtus hęc, niſi partim

à materia, partim á characteribus & potiſſimùm à virtutibus in materiam per cœlum inditis, & copioſiùs affluentibus, quæ per conſtellationes, mediantibus applicationibus, de ſua potentia deducuntur in actum? Nil mirum ſanè conſiderantibus mundi ſuperioris ad inferiorem, & iſtius ad illum maximam confœderationem. Siquidem hîc inferiùs apud nos moueri nihil poteſt arte, quod ſuperiùs itidem non commoueatur. Non aliter quàm ſi membrum aliquod in humano corpore læſum fuerit vxori, correſpondẽs in eius viri corpore, & ſi non actu lædatur, potentia tamen, ac naturali compaſſione quadam, ob naturalis amorem atque diuini coniugii, dolorem percipit. Quantò magis in ipſamet natura hoc ipſum fieri neceſſum eſt, quæ coniugio diuino conſtat ex mundo ſuperiore, & inferiore, ſicà Deo quidem ordinatis, vt vnus eorum nihil contineat, quod non ſibi correſpõdens habeat alter. Cùm igitur minor mundus, homo videlicet, corpore vitaliqúe ſpiritu, ſit ad magni ſimilitudinẽ creatus: rationali quidem ad imaginẽ Dei, quicquid in maiore fuerit, in minore fore cõſtat. Et ſicuti nũquã in ſuperiori cælo ceſſant motus, hominis etiã ſpiritus vitalis, quieſcente corpore, vel dormiente, motus exercere ſuos non ceſſat, imò potiùs operatur, quàm vigilante. Pariter ſi membrum aliquod in corpore tangitur hominis, mox ad ſpiritum huiuſmodi tactus peruenit,

vt ſuprà

vt ſuprà de cœlo dictum eſt.

Simile coniugium ergo videmus inter ſpiritum, & corpus hominis eſſe, quale diximus inter cœlum & terram. Iterum qualiſcunque ſit in cœlo motus, in hominem influit, aut in elementa ad vſum eiuſdem. Quapropter mirandũ non eſt, ſi fieri valeãt arte lapides precioſis non abſimiles, quibus morbi curari poſſunt hominum, vbi ſub aſpectibus (vt aiunt) felicibus fabricati ſint. Quantò magis quum reſoluti fuerint in ſuos liquores, & intra corpus adhibiti, remedia futura ſunt potentiſſima.

## *De plurium vnionum, aut precioſorum lapidum in vnicum reductione.* CAP. XVII.

ACcipe minoris perfecti, cuius antea mentionẽ fecimus, & ipſum apertiſſimis verbis extrahere docuimus, aliquam partem. Hoc in alembicum paruum ſuper cineres pones, igneque lentiſſimo priùs deſtillabis, donec eo calore leui non deſtillet ampliùs. Animaduertendum eſt priùs, digeſtione per balneum reſolui debere perfectũ hoc minus, ante primam deſtillationem nunc poſitam. Amoto poſtea recipiente clauſoque admoueatur aliud, optimeque lutetur in commiſſura, fortiorique deſtilletur igne donec aſcẽdere poterit. Secundum hunc liquorem in vas nouum ponito, deſtillatoque balneo Mariæ ter, qualibet vice refundendo quod deſtillatum fue-

rit ad ſuas feces,quæ quidem viſcoſæ ſunt,ac diſſoluuntur iſtis affuſionibus. Verùm tertiò deſtilletur in cineribus. Poſtea deſtillatum nouum in vas iterum poſitum deſtilletur in balneo Mariæ quater, ſingulis vicibus amouendo feces,eaſque per ſe reſerando, quouſque hæc aqua fit clariſſima, necnon ſplendens vnionum inſtar orientalium. Iſtius vſus hic eſt. Vniones pulcherrimos, licet paruos, in vas vitreũ pone mundiſſimum, quibus affunde parum iſtius aquæ iam vltimò deſtillatæ, vt ſupernatet aliquantulum: claudatur vas optimè: poſt horas tres videbis vniones in paſtam albiſſimam reſolutos,& in ſuperficie natabit aqua valde clara, quam per modeſtiſſimam inclinationen in aliud vaſculum effundes abſque turbatione. Relicta quidem in eodem vitro paſta,ponatur in balneum Mariæ cooperto vaſe per dies tres: excipe demum. Formam tibi rotundam, & argenteam intus obductam auro, diuiſam per diametrum, vt illæ ſunt in quibus tormentorum globuli funduntur, ab aurifabro iubeto parari,tantæ concauitatis, quantos vniones fore cupias. Ad vtriuſque partis orificium aureum filum protendatur ſubtiliſſimum in diametrum, vt pro ſui medietate cauet vtramq;, ſic vt protrudi retrahiq́ue valeat. Poſtmodum vtraque formæ pars media paſta repleatur,& hoc aurea ſpatula fiat:indeq́; mox protenſo filo coniungantur, agiteturq́; filũ huc & illuc tractibus, vt forati

vt forati ſint vniones. Aperta forma ponantur vniones in argenteam patinam vel auream,& non tangantur manibus , coopertaque patina ſibi ſimili ſiccentur in vmbra,ne Sol attingat. Formatos omnes filo dicto penetrabis, vt non tangantur manibus , & in vitreo vaſe claram aquam de qua ſuperiús diximus continente ſuſpendãtur,& occluſo vaſe ponãtur ad aërem extra Solẽ diebus octo,pòſt ad Solẽ tribus,agitãdo vas ſingulis ternis horis modeſtè ſatis. Liquoris huius vapore perficientur,& congelabuntur vniones,&c.

Eodem hoc proceſſu poterunt carbunculi, rubiníve plures vnus fieri , tantæ quantitatis ac volet artifex , mercurio rubeo tamen,vti ſuprà diximus,diſſoluto ſemel tantùm. Si reliquorum colorum lapides formare velis,cum albo mercurio feceris,quia color albus omnium eſt ſuſceptiuus,&c.Congelationem ad opus iſtud,ex præcedentibus inuenire poterit induſtrius artifex , iſta longè præſtantiorem.

## *De his quæ ad hanc artem apprimè neceſſaria ſunt.* CAP. XVIII.

TRia potiſſimùm in hac arte conſideratu digniſſima ſunt.Primum,vt materiam ad hanc rem idoneam eligamus. Secundum,vt clauem habeamus philoſophicam, arcem qua reſeremus fortiſſimam , in qua virtutes à natura minerales omnes reconditæ ſunt , ne deprædentur fures.

at à philoſophis veris habeantur, qui clauẽ hanc fabricare norunt arte mirabili. Tertium, vt virtutes iam acquiſitæ metaphyſico magiſterio prę-parentur, cœleſtiumque virtutum digna fiant receptacula. Cognita materia, mox inde clauis eſt neceſſaria, qua ſine prorſus ad naturalem philoſophiam nullus patet aditus.

Poſtquam introierimus, arcæ nobis tres apparent. Vna, theſaurus ingens aliis longè felicior, ad humani corporis medicinam, continetur ſub aquis aëreis & cœleſtibus: aliis duabus cõtinentur aquæ cum aëreis terreæ ſimul, cùm ad ingentes diuitias, vtpotę metallorũ tranſmutationẽ, tũ ad morborũ curam: tertia quidẽ ſimiles continẽtur aquæ, ſed ad precioſorũ lapidũ fabricationẽ. Ex tribus iſtis fontib⁹ ſcaturiunt vndę mũdo felices, quibus admirãda patrantur in rerũ natura. Cœleſtes aquæ mineralibus impręgnatæ virtutibus, aëri quum expoſitæ fuerint per integri circuli reuolutionem, latiùs impręgnantur cœleſtibus viribus, quibus ad reſolutionem omnium, ſolidiſſimorum etiam corporum, aptę fiunt. Inferiores tamen cœleſtes etiam, at expoſitæ ventri terræ, virtutes eaſdem accipiunt eodem tempore, ſed alio medio, nempe terreo, quo coagulandi vim acquirunt omnia, & ſuum argentum viuũ. Inter ſulphura quæque hoc vnum eſt excellentiſſimum, vt etiam argentum viuum quod poſuimus, præ cæteris præſtantiſſimum, & philoſophi-

ſophicum exiſtit. Quanquam & alia reperiuntur philoſophica, non tamen in tanta ſubtilitate puritateque ſublimata. Sunt igitur aquæ philoſophorum iſtæ cæteras inter maximæ, videlicet formalis vna, cœleſtis & ſuperior, altera materialis & inferior, quæ tamen ambæ naſcuntur ex eadem radice, nec niſi per induſtriam & applicationem ad artificium hoc differunt. Vt confirmetur quod per patrem Hermetem nobis prædicatum eſt, vtpote: Quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius, ad perpetranda miracula rei vnius. Hîc videmus primum artis huius excellentiſſimæ reſtauratorem, duo ſub vnitatis contenta ſimilitudine ponere, quibus miranda fiunt ex naturalibus opera ſupernaturali magiſterio. Prius vocat ſuperius, id eſt cœleſte, per quod cœleſtes aquas intelligere poſſumus. Alterum inferius nominat, idque poſſumus ad aquas referre terreas, quas vnam & eandem aquam eſſe dicit: nam ex vna & eadem ſubſtantia ſunt, & natura non differunt, ſed accidente ſolùm, id eſt præparatione. Per medium aëris namque, ſuperiores vim ſolutiuam acquirunt, inferiores verò terræ medio coagulatiuam, quæ quidem actiones, accidentia ſunt, non ſubſtantiæ. Vide qui hoc Hermetis dictum exponat Io. Trithemius, naturalium philoſophorum excellentiſſimus. Vnarius (inquit) non eſt numerus, & ex ipſo numerus omnis conſurgit. Antequam enim aqua cœleſtis,

cuius mentionem fecimus, in duas partes diuideretur, vna fuit, nec per ſeparationem in vaſa duo diuiſa: verùm per introductionem diuerſorum accidentium, vt audiſtis. Hac ratione tantùm, vnarius factus eſt binarius numerorum omnium primus, vt ait idem Trithemius. Eſt numerus, & numeratur; & non eſt numerus, & non numeratur. Non numeratur, quia natura ſimplex eſt, & accidente compoſitus. Ideoque numerari non poteſt, quia ante ipſum non eſt numerus. Intelligitur de vnitate, quam alio modo Hermes explicat per ſimilitudinem, dicens, Eſt ſicut id, &c. Binarius autem ab Hermete per ſuperius & inferius denotatur. Reiiciatur (ait Io. Trithemius) binarius, & ternarius ad vnitatem conuertibilis erit. Idem Hermes, at aliis verbis, nempe, Ad perpetranda miracula rei vnius. Apprimè notandum eſt hoc loco, duobus modis vnitatem ab vtroque ſic intelligi. Rerum omnium naturale quouis, in ſpecie numeratur, in quouis indiuiduo particulari non numeratur: niſi conſidererur ex elementis compoſitum à natura, tunc numeratur. Non aliter Hermes vnitatem numerat per ſuperius & inferius, & ipſe Trithemius per omnes numeri conſtitutionē ab vnario. Longè diuerſa ratione pòſt vterque metitur vnitatem: vnus reductione ſuperioris, & inferioris ad ſimilitudinem in miraculo poſitam: alter abiectione binarii, conuerſioneq; eiuſdem in vnita-

in vnitatem per ternarium. Mira certè ratione conueniunt in eandem ambo ſententiam. Eſt igitur naturalis vnitas in binarium diuiſibilis, vel potiùs numerabilis, & hic per ternariũ ad alterã vnitatem,& ſupernaturalem reductibilis,quę ſecunda verè dicitur vnitas adepta,vltra quã nullo modo progredi licet. Hoc ſic Trithemi⁹. Omnis itaque naturæ conſiſtens limitibus operatio mirandorum, ab vnitate per binariũ in ternarium deſcendit: non priùs tamen,quàm à quaternario per ordinẽ graduum in ſimplicitatẽ conſurgat: nam ſi quatuor numerare velis,non aliter quàm ab vno ſcis inchoandũ, & dicis, vnum, duo,tria, quatuor:quæ ſimul ſumpta,faciunt decem.

Hæc omnis numeri perfecta conſummatio eſt, quia tunc fit regreſſus ad vnum, & vltra denarium non eſt numerus ſimplex. Mirantur huius connexionis profunda neſcientes, quibus principiis in operatione mirandorum vtamur, falsò nos vel dæmonum adiutorio, vel qualibet contra fidẽ noſtram Chriſtianam ſuperſtitione inniti opinantes. nos autẽ hæc de nobis iudicãtes, propter eorum quæ præmiſimus ignorantiam,non miramur. Quoniam ſicut ſanctiſſima teſtatur ſcriptura de interna cognitione Dei, quam nemo intelligit, quàm qui accipit:ita his vel imbui, vel vti nemo poteſt, niſi diuino munere lumẽ ſingulare acceperit intelligendi ex natura in naturam, fueritque in eo cum lumine

ignis,cum igne ventus,cum vento poteſtas,cum poteſtate ſcientia , & cum ſcientia ſanæ mentis, integritas. Hactenus ille.

His apparet , in decade vel vnitate ſecũda perfectionẽ adeptã exiſterẽ,progreſſu ab vnitate naturali ad vnitatẽ ſupernaturalẽ: binario tamẽ ad ternariũ reducto per quaternariũ, vti ſuprà dictũ eſt, mediante. Hanc ego ſententiam ad inſtitutum noſtrum facere ſic intelligo. Quicunque medicinam illam admirabilem , & miracula patrantem adipiſci volet , ſeipſum à binario in ternarium reducat oportet, per quaternarii gradus, antequã in rebus aliis naturalibus id facere præſumat. Homo ſiquidem naturaliter vnus eſt,& non numeratur , at ſupernaturaliter in duo numeratur: vt in ſpiritum & corpus, quæ binariũ in eo conſtituunt, Verùm ob corruptionem primam,iſtud illum ſuperat, quo fit, vt nihil admirandum producere ſpiritus valeat. Quod ſi debeat in hac vita , ſuperandus erit per ternarium binarius, id eſt,corpus ad ſpiritus naturam conformandũ eſt , & ſpiritus ita corpori coniungẽdus, vt in eo pacem habeat. Quo facto, iam ternarius ortus in vnitate ſecunda perfectaq́; iubilat: nam ex duobus dictis prioribus , per eorum coniunctionem factum eſt vnum tertium. Hæc tamen coniunctio fieri debet per gradus quaternarii, hoc eſt, per elementorum, ex quibus conſtat corpus , tranſmutationem in vnicum & puriſſimũ elementum,

elementum, hoc modo: Primò ex terra tui corporis aqua fiat: hoc eſt, ex lapideo ſegnique tuo corde, molle fiat vigilansque ad Dei, tui quoque noticiam: vt ſpiritus imagines in illud non aliter, quàm in ceram ſigillo characteres imprimi queant. Poſtmodùm ex hac aqua fiat aër: id eſt, attolle ſurſum in cœlum, ad eum qui te creauit humiliatum iam cor tuum, aëris inſtar ad ſuprema ſemper tendens, oraque pulſans vt aperiatur ingenium tuum, ad intelligendum ea quæ Dei ſunt. Poſtremò ex aëre hoc fiat ignis: hoc eſt, deſiderium tui cordis omne conuertatur in amorem (cui comparatur ignis ob ardorem) Dei proximique tui hîc in terris, vt flamma hæc non extinguatur vnquam. Sic fiet vt per ſimilitudinem tuus binarius, id eſt, ſpiritus & corpus, in vnum ternarium perfectè iungatur, per quaternarium eiuſque gradus, vt audiuiſti. Iam habes, optime lector. Clauis philoſophiæ ſpeculatiuæ manifeſtationē, liberali quidem animo tibi, ſtudioſis etiam rerum abditarum omnibus in lucē editam, quæ tam occultè ſeruatur ænigmatibus antiquorum. Ad huius ſimilitudinem, philoſophiæ chymiſticæ clauem fabricare tibi neceſſum eſt. Iā quid obſtabit, quin ænigmatica ſcripta hac in arte valeas intelligere, ne falsò cū cæteris iudices artis iſtius profeſſores, etſi miranda faciant, eſſe necromanticos, at magos & verè ſapientes. Vtq; videas quàm paucis, ea quæ tot & tā variis

velarunt inuolucris antiqui recentesque magi, tibi nunc expoſuerim: nonnulla quæ Trithemius inter modernos eius rei ſcriptores omnium ſagaciſſimus ſcripſit, apponere minimè pigebit. Videbis in arte hac ſpectrorum aut ſuperſtitionis (quod falsò dicunt ignari) nihil prorſus adeſſe, nec eius quidpiam, quod ſit contra religionem veram Dei. Sed antea memini in titulo ſeu inſcriptione huius libelli, me feciſſe mentionem graduum decem Philoſophicæ ſpeculatiuæ ſeu adeptæ, quorum expoſuimus ſeptem. Æquum eſt igitur hoc loco ſub finem addere decadem eorum ad hunc modum videlicet:

Studium generat cognitionem. Cognitio parit amorem. Amor ſimilitudinem. Similitudo frequentiam, ſiue communionem, aut familiaritatem. Communio fiduciam. Fiducia virtutem. Virtus dignitatem. Dignitas Potentiam, & potentia Miraculum efficit. Tres gradus qui plures præcedentibus hoc loco numerantur, ex aliis dependent, à quouis initiato philoſopho facilè perceptibiles. Quapropter philoſophiæ noſtræ adeptæ finem nunc facerem, ni me priùs admonerent verba Trithemii de hac arte prolata, quę huc apponere viſum eſt. Adepta philoſophia (inquit) naturalis, quæ aliquãdo principiis naturæ innixa, in ſua ſimplicitate pura conſtabat, tot mendaciis & impuritatibus totq; deceptionibus confuſa eſt, vt nemo niſi in vtraque doctiſſimus ſit, qui

sit,qui alteram ab altera discernere possit,intelligere potest. Quantos errantes in ipsa solus ego noui viros, alioquin doctissimos: quorum nonnulli tempus & substantiam Alchimiæ impendentes perdiderunt: nonnulli vitam cum rebus amittunt:alii medicinam ex ipsa cupientes elicere,post longos labores nihil proficiunt:alii mirandorum effectuum secreta perscrutantes, ad nullam experientiã peruenire potuerunt?alii futura prædicere gestientes, pro veris falsa loquuntur:hi dum opiniones sui capitis ventosas ingerunt,ab expertis dudum conscriptis,quę non intelligunt bona veraq;,mala & falsa imperitè efficiunt. Nota tria principia in magia ista naturali occulta, sine quorum perfecta noticia, nullus operantem sequitur effectus.Primum principium in vno consistit, non à quo, sed per quod omnis mirandorum naturalium virtus producitur in effectũ,de quo diximus,quia purum ab vno procedens non componitur,neq; mutatur. Ad ipsũ à ternario & quaternario fit ad monadẽ progressus, vt compleatur denarius: per ipsum enim est numeri regressus ad vnum, simul descensus in quatuor,& ascensus in monadem. Impossibile est compleri denarium,nisi per ipsum: monas in triade læta conuertitur. Omnes hoc principium post principium monadis ignorantes, nil in ternario proficiunt, nec ad sacrũ quaternariũ pertingunt. Nam etsi sapientũ libros omnes ha-

beant, ſiderũ curſus, virtutes, poteſtates, operationes, & proprietates perfectè cognoſcãt, ipſorũq; imagines, annulos, ſigilla, & ſecretiſſima quæq; ad plenum intelligant: nullum tamen mirandorum conſequi poſſunt in ſuis operationibus effectum, ſine huius principii à principio cognitione in principium. Vnde omnes quotquot vidi in adepta Philoſophia naturali operantes, aut nihil conſequuti ſunt, aut ad vana, friuola & ſuperſtitioſa, poſt longas & inutiles operationes, deſperatione prolapſi ſunt. Principium verò ſecundũ, ordine, non dignitate quidem, à primo ſeparatum, quod vnum exiſtens facit ternarium, eſt quod operatur miranda per binarium. In vno eſt enim vnum, & non eſt vnum, eſt ſimplex, & in quaternario componitur: quo purificato per ignem in ſole, aqua pura egreditur, & ipſum ad ſuam ſimplicitatem reuerſum, complementum operanti monſtrabit occultorum. Hîc centrum eſt adeptæ philoſophiæ naturalis, cuius circunferentia ſibi vnita circulum repræſentat immenſus ordo in infinitum: virtus eius ſuper omnia purificata, & ſimplex minor omnibus quaternario ſuper gradu compoſita. Quaternarius autem Pythagoricus numerus ternario ſuffultus, ſi ordinem gradumque obſeruat, purificatus purusque in vno, ad binarium in ternario miranda & occulta naturæ poteſt operari. Hic eſt quaternarius, in cuius menſura ternarius binario coniunctus in.

ctus in vno cuncta facit, quæ mirabiliter facit. Ternarius enim numerus ad vnitatem reductus per aſpectum, omnia in ſe continet, & quæ vult poteſt. Principium tertium per ſe non eſt principium, ſed inter ipſum & binarium eſt finis omnis ſcientiæ & artis myſticæ, ac infallibile medii centrum: in alio quàm in ipſo faciliùs non erratur, quoniã pauciſſimi viuũt in terris, qui profũda eius intelligant. Variũ eſt compoſitũ, & per ſeptenarium in ternarium octies multiplicatum conſurgens & manens fixũ. In ipſo eſt conſummatio numeri, graduum, & ordinis: per hoc omnes philoſophi, occultorum naturæ veri inquiſitores, mirabiles effectus conſequuti ſunt: per ipſum ad ſimplex elementum in ternario reductum ſubitò fiunt infirmitatum curæ miraculoſæ, & naturaliter omnium ægritudinum: opuſque in adepta philoſophia naturali & præternaturali operantis conſequitur effectum, ſecundùm diſpoſitionem quaternarii. Prædictio futurorum per ipſum verificatur, occultorumque inſinuatio, non aliunde, quàm per ipſum à natura percipitur. Hoc vnico medio ſecretum naturæ aperitur Alchimiſtis, ſine quo nec intellectus artis acquiritur, nec operationis effectus inuenitur. Errant, crede mihi, errant omnes, qui ſine iſtis tribus principiis quicquam operari in occultis naturæ ſcientiis ſe poſſe confidunt: maior autem cauſa erroris eſt, quòd ſapientes olim

ſecretis naturæ imbuti , hæc vel penitus tacuerunt, vel nimia obſcuritate inuoluerunt, vt non niſi á ſibi ſimilibus intelligi verè queant. Secreta eſt huius inſtitutionis philoſophia cœleſtisque, in qua ſi quis ſcire & intelligere verè cupit aliquid , hominum tumultus fugiat neceſſum eſt, mundum deſerat , cœlum non oculis tantùm, ſed mente contempletur. Spiritus Dei vbi vult ſpirat , quem vult illuminat , quem ſuo numine obumbrauerit, in omnem veritatis cognitionē inducit: quod qui acceperit , Deo gratias agat, ſtudeatq; fructibus operū bonorū correſpondere pro viribus acceptis, accepiſſeque ſe recognoſcat, & ita non inueniet vnde ſuperbiat. Ille autem cui ſcire iſta ſublimia donatum non fuerit , aut ſocordiam ſuam intelligat , quia non laborauit vt ſciret: aut miſericordiam Creatoris laudet , qua in eius vtilitatem impedimenta fore voluit vt neſciret, aut ſi non acquiſiuerit , Deum ſibi non extitiſſe debitorem tantæ donationis fateatur, & non murmuret. Amicus es, tibi conſulentem amicum audi , & factum intelliges. Propinquorum victor ignem inuidiæ, non aërē calca mortaliū , Dei immortalis odio : periculum minatur leuitas. Fuge ſynodum omnium per hominem, non hominum etiam cœleſtiū. In nidulo hirundinū ſalus tua, periculū gallinarū. Velum raptū á vento perſequeris , fatigaberis in ſeptenario , ſed per ternariū in vnitate conſurges iterum, & felicem te

cem te reperies. Si operationes tuas à ſole, quem tibi natura videtur abſcondere, vt à cunctis ad verum ſolem, qui Deus eſt, per ſtudium cognitionis, purificata ab inferioribus mẽte, in deſiderio animæ feruore ſanctiſſimi amoris conuerteris, & aliud oſtendet. Quia diuini amoris ars longa, tempus verò breue eſt, præſtatq́; Creatorem, quàm creaturã in veritate ſemper diligere. Sunt autem iſta principia intellectui hominũ difficilia nimiùm, & ſoli homini ab aſtris, arte, ingenio & natura ſpeciali conditione diſpoſito peruia, ſine quorum cognitione perfecta, nihil proficiunt in adepta philoſophia operantes. Hæc philoſophia naturalis non ſolùm effectus operatur viſibiles, ſed etiam in intellectum ipſius hominis in ea periti mirabiliter in cognitione diuinitatis illuminat, inuiſibilesq́ue fructus animæ præſtat.

Sed videmus nomen eius hodie hominibus inuiſum & odioſum, vt omnes in ea ſtudentes vna ſententia damnent, omnemq́ue vſum eius Chriſtianæ religioni aduerſum penitus & contrarium exiſtiment. Quòd ſi ipſa ad primam puritatem ſuam reduceretur, fieret cunctis denuò amabilis & maximè vtilis Principibus. Sed quis tam idoneus, quis tam doctus & potens, qui hoc opus aggredi poſſit? Non eſt vnius diei negociũ, nec viri pauperis opus, nec inerudit: vbi & ſcientia profundiſſima in omni penè ſcientia requiritur, & opes vt volumina multorum compor-

rari queant. Quod quidem vt fiat quandoque fa-
xit omnipotens Deus O. M. Interea tamẽ floſcu-
los ex ſacra ſcriptura colligere pro viribus non ſi-
namus, ex qua nobis in integrum poteſt reſtitui,
& non aliunde ex opinionibus hominum, ſenti-
na malorum omnium, quibus abiectis prorſus
ad fontem veritatis conuertamus nos & valedi-
camus ignauiæ, finem tandẽ imponen-
tes huic opuſculo, fruamur cogni-
tione veritatis per Ieſum
Chriſtum.

FINIS.

# INDEX RERVM AC VERBORVM.

## A.


A Enigma de vitriolo. 57. de vino. 62. de mercurio ſolificato. 64
Aër quid 10
Ager & terra Domini. 141
Agnoſcere fratrem qui poſſunt. 104
Alimenti externi cauſa quæ. 137
Alteratio quid. 186
Amari quid oporteat. 106
Amor quid. 119. vnde natus. 106. philoſophicus quis & qualis. 108. verus vbi quærendus. 111. demonſtratur, ibidem. nullus cur adepto comparari nequeat. 110
Amoris fons quid efficere valeat. 148
Anatomiæ adeptæ quatuor inſtrumenta. 147
Anima quid. 78. quibus conſtet. ibidem
Animæ motus qualis. 77
Animam ſuam diligere quid. 81
Animalia quæ ſint. 27
Animantium tria genera. ibidem.
Animus quid. 78. quibus delectetur potiſſimùm. ibidem. hic & anima quando vnum & idem dicantur, & quando non. 82
Antimonii tinctura. 159. tinctuæ formula. ibid.
Anxietatis humanæ potiſſima cauſa. 123
Aquæ vitæ deſcriptio ad aurum potabile. 164

*Aqua viua quam ſitim extinguant.* 112
*Aratrum Domini.* 140
*Arcanorum occulta quis detexerit, his temporibus.* 23
*Argentum, luna cur vocetur, & qualis.* 20. *viuum exuberatum quid.* 197
*Ariſtotelis philoſophia quidnam doceat.* 120
*Ars chymica in quo potiſſimùm conſiſtat.* 146
*Artifex qualis, opus tale.* 107
*Artificium chymiſticum circa quot potiſſimùm verſetur.* 28. *ſupernaturale quid.* 169
*Artis puncta neceſſaria.* 147
*Artium primarum inuentrix.* 123
*Aſinorum equitatio in academiis Galliarum conſueta.* 98
*Aſtris qui ſubiiciantur.* 81
*Audire & non videre in fide.* 146
*Authorum ſcriptis ſolis cur ſtandum non ſit.* 28
*Aurum philoſophorum quid.* 23. 106. *vniuerſale quid.* 23. *ſeparatur à duobus.* 163. *cur ſol vocetur, & qualis.* 20. *auro quatenus tranſmutari poteſt.* 21. 22. *potabile quid* 164. 237
*Auri coloris citrini cauſa.* 21. *eius ponderis, metallorum & argenti viui cauſa.* 21. *materia proxima: ibidem. conſtantia in igne cauſa.* 20. *corruptio.* 156. *temperatura.* 20. *oleum quid.* 164. *tinctura.* 156. *tinctura extractionis formula.* 156. *puritatis cauſa.* 19. *potabilis formula.* 164

## B.

*Balſamum naturale in homine. 162. eius tinctura.* 158
*Bellum in mortuos.* 4
*Binarius quid.* 16
*Biuium electionis.* 125
*Bruta quo modo intelligant.* 79

## C.

*Calumniatores cuius filii ſint. 173. cur inuehantur in artes veras, & ſuos profeſſores.* ibid.
*Calcinatio minor.* 196
*Chaos artificiale. 169. quid. 180. 181. variis modis conſideratur.* ibid.
*Charitas quid. 147. quando à ſeipſa incipit.* ibid.
*Chymica ars quidnam moliatur.* 100
*Chymicam artem lectura ſola neminem aſſequi poſſe.* 141
*Clauis philoſophica. 196. 205. philoſophica quomodo extrahatur.* 224
*Clypeus aſinorum.* 99
*Cœlum quid. 179. 183. 205. unde oriatur. 181. metaphyſicum. 179. eius ornamentum, ibidem. metaphyſicum virtutem cum generandi, tum nutriẽdi habet. 184. philoſophorũ. 67. noſtrũ. 223. extrahendi modus quis. 224. in quouis elementato naturali. 169. qua virtute attrahat vires*

*rerum.188.metallorum quid.233.elementum purum & vnitum. 175. quomodo rationem habere dicatur materiæ & formæ.* 182
*Cœli & elementorum fœdus. 176. comparatio ad chalybem.109.consideratio.* 201
*Centrum operis.* 203
*Cognitio adepta. 100. miseriæ communis quid operetur.* 104
*Cognitionis vtilitas.* 102
*Cognoscere se quomodo oporteat.* 100
*Colores quid.189.maiores.* 194
*Colorum consideratio.* 201
*Commixtio duplex.* 170
*Comparatio pulcherrima corporis ad hortos.* 138
*moralium ad chymistica.153. pulcherrima habituationum.* 152
*Congelatio quid.* 38
*Coniugium metaphysicum.186.diuinum.* 244
*Conscii suspicione se produnt.* 3
*Consilium ingens.* 106
*Constantiæ mirum exemplum.* 153
*Contrariorum, in homine maximè, coniunctio mirabilis.* 79
*Coralli tinctura.157.oleum eius.* ibid.
*Corpora non solùm elementis constare.* 12.
*Corpus cur mortem timet.131.quid. 78.minus quid. 196. quomodo reducatur in materiã primã. 163. qua via transeat in esse sulphureũ.ibid. vincendi ratio certissima.139.diligere in anima quid.* 81

*Corporis facultas vnde proueniat. 77. bona dispositio duplex. ibid. quid. ibid. quibus acquiritur. ibidem. dimensiones. 14. pædagogus.* 139
*Corruptio chymica.* 13
*Corruptionis rota. 200. metallorum rotæ formula. 302. in homine causa. 162. differentia.* 13
*Creatio rerum occulta quomodo. 109. quomodo secreta.* ibid
*Curiositas necessitatem suppressit.* 124

## D.

*Destillatio succorum.* 51
*Destructionis operis cognitio.* 197
*Digestio quid.* 187
*Dimensiones chymistarum.* 16
*Dispositionis artificiatæ tres potissimæ partes.* 87
*Dissolutio quid. 185. minor.* 197
*Dissolutionis consideratio.* 201
*Duellum admirabile mentis cum corpore.* 83

## E.

*Efficacia quid.* 145
*Elementa quid. 185. principalia duo. 10. non absumuntur igne. 11. simplicia quæ. 12. composita quæ. ibid. mercuriata. 134. per se nihil generare. 68. in quouis indiuiduo.* 170
*Elementorum consideratio. 201. separatio vulgaris quæ. 163. separatio vera. ibid. separatio. 176.* 203

*temperatura & conſeruatio vnde. 85. triplicitas. 12. vnio.* 175
*Elixiris & lapidis differentia qua.* 203
*Errores artificum.* 204
*Erroris via.* 125
*Eſſentia quinta quid.* 136
*Euacuatio quid.* 197.134
*Experientia quid.* 100
*Extremus homo quid.* 78
*Extremum ſecundum quid.* 181
*Extrema mineralia qua.* 41

## F.

*Fac talis euadas ipſe, quale tuum eſſe cupis opus.* 82
*Falſitas quid.* 93
*Fatuus quis.* 81
*Fermentum ſimplex quid. 185. compoſitum quid ſit.* 232
*Fermentatio quid. 191. 234. cur fit.* ibid.
*Fermentationis conſideratio.* 201
*Fides quid. 145. inter homines quando ſeruari deſijt.* 124
*Fidei comprobatio. 148. ſtimulus quis.* ibid.
*Finis cognoſcendæ veritatis. 144. operis quid.* 210
*Fluuius de cœlo affluens.* 115
*Fœtoris deſtillatorum oleorum correctio.* 53
*Fœtus quid.* 69
*Forma naturæ quid. 9. generalis in metallis.* 19

Forma vniuersalis efficacia. 23
Forma rerum quid. 182. quomodo magisterium ingredi debeat. ibid. dupliciter consideratur. ibid. quid. 205. motiua quid. 214
Forma cœlum quid. 212. minor quid. 195. triplex. 213
Forma consideratio. 200
Formarum generationes. 11
Fornacum varia constructio vasorumq; 29
vsq; ad 36
Frequentia quid. 138
Furni acedioſi vsus. 47

## G.

Generatio quid. 187. humana cur potissimùm veneranda putatur. 110. rerum vnde. 69. chymica quid. 14
Generationis rota vnde sumit exordium. 200. media eius. ibid. causa. 168. consideratio. 201
Generationem extra se non fieri, non tamen in seipsa. 107
Gentiles carent eo quod docent. 96
Gentilium doctrina falsissima. ibid. sectatores cur intelligere non possunt arcana Dei. 170
Gignere, in quo impossibile, in quo autem necesse. 110
Gladius suspensus. 122. in hamum conuersus. ibid. in Christum mutatus. ibid.
Granum frumenti cadens in terram quid. 143

*Gratiæ tempus.* 122
*Guma philosophorum.* 233

## H.

*Hæreditas à parentibus prima.* 94
*Homo quot partibus potissimùm constet.* 78. *cur ad vile magis quàm ad pretiosum pronus sit.* 101. *cur cœli terræq; filius sit.* 161. *in quid res omnes mundi transmutare nouit. ibid. diuersimodè iudicandus, secundùm illa ex quibus constat. ibid. quomodo, quando quoq; dominari potest astris. ibid. intra se potest quod extra se. ibid. quidnam à principio fuerit.* 162. *ad vltimam suam adduci materiam.* 164. *naturaliter separatur in aurum. ibid. cur brutis irregularior.* 109. *cur omnium excellentissimum opus. ibid.*
*Hominis comparatio ad escam vel fomitem.* 163. *finis.* 102. *media materia qua.* 162. *conditionum differentiæ.* 80
*Hominem cur odio habet propria substantia.* 162
*Hospes seuerus quis.* 127
*Humiliationes nostræ mysterium rarò considera-tum.* 101

## I.

*Idolum quisq; suum.* 133
*Ignis bina media.* 10. *conatus. ibid. duplex.* 20. *duplicis duplex etiam officium.* 11, *diuersitas & vsus.* 38. *elemen-*

38. elementaris potentia qua. 68. per quid accenditur. 162 lapidis ex quibus. 235
Imaginationis assidua virtus & efficacia mira. 104
Imago Dei quid. 93
Imitatio naturæ per artem. 169
Impurum quid. 155
Inceratio quid. 199
Indicia artificij. 217
Indigni qui sint in arte chymica. 146
Indiuiduum quid. 69
Infirmitatum causa maxima. 127
Inimici in omnibus. 132. in natura qui. 80
Initium vitæ æternæ quod. 130. operis quid. 210
Instrumentum chymisticum quid. 37. quotuplex. 28.
natura quid. ibidem. quotuplex. 37
Intellectus quid. 78. officium. ibid.
Internus homo quid. 78
Irrigatio per viuam aquam. 140. quæ hæc sit. ibid.
Iter biuium illud quod optionis dicitur. 111
Iustitia quid. 95

## L.

Lac virginis quid. 20
Lapis quid. 199. 220. 235. mineralis. 235. animalis. 236. vegetabilis. ibid. mineralis vnde. 337. mixtus. 338
Lapidis complementū 190. formandi modus & norma. 206. practica præ cæteris excellentissima. 215. alia practica, 218. abbreuiatio. 235. 236. minoris

*practica.* 211
*Lapidum materia prima.* 18. *precioſorum plurium in vnum reductio.* 248
*Legum tempora.* 122
*Liberalitatis Dei primum exemplar.* 101
*Liquorum concretorum tria genera.* 55. *deſtillatio. ibid. ebullientium deſtillatio.* 56
*Locus proprius chymiſtarum quis ſit.* 29. *chymiſticus quotuplex.* 28
*Lucta continua.* 129
*Lumen perlarum.* 226

## M.

*Magiſterij totius finis.* 228
*Maioris perfecti conſideratio.* 202
*Maius perfectum quid.* 194
*Marti mollitiem conciliare.* 227
*Mater chymica quid.* 18
*Materia quid.* 10. 204. *prima quid.* 162. *prima metallorum qua dicatur.* 233. *rerum vltima quid.* 164. *minor quid.* 196. *metaphyſica quid.* 181. *quot modis conſideretur. ibid.*
*Materia potentia vnde.* 9. *ſubiectum vltima quid.* 162. *conſideratio.* 201
*Medicamentorum differentia.* 135
*Medicina triplex.* 66. 88
*Media mineralia qua, & cur ita vocentur.* 23
*Medium in opere ſubtiliſſimum.* 202. *coniungendi mercuri-*

*mercurium cum prima materia.* 233. *extrema coniungens quid.* *ibid.*
*Membra quid.* 234
*Memoria quid.* 78
*Memoriæ præteritorum causa.* *ibid.* *radix excellentissima.* 79
*Mendaciorum pallium.* 99
*Mens quid.* 77. *quando fit.* 78. *quando bene recipitur.* 80. *vnde.* 86. *petenda, & exercenda.* *ibid.* *vndeoriatur.* 105. *cur non metuat mortem.* 131. *vnita ex duobus.* 130
*Mentis occæcatio vnde prouenit.* 65. *repurganda methodus à malis cogitationibus.* 138. *efficacia.* 66. *speculatiua potestas.* 97
*Mentem promouens medicamentum.* 86
*Menstruum quid.* 205. *in hac arte quid.* 184. *resolubile quid sit.* 145. *resolutiuum quid.* *ibid.*
*Mercurius ex tartaro.* 229. *vegetabilis quid.* 234. *sensualis quid.* 183. *vegetabilis qua ratione dicitur natus ex duabus substantiis.* 185
*Mercurij comparatio ad cotem.* 163
*Mercurium extrahendi modus alius.* 229
*Metallum inter & lapidem quæ sit differentia.* 25
*Metalla cur planetarum nomina sortita sint.* 23
*Metallicorum principiorum triplex status.* 19
*Metallicarum virtutum causa maiorum quàm aliarum rerum.* 19
*Metallorum materia prima.* 19. *destillatio per se.* 50
*Mineralia quid.* 18. *ex quibus generantur.* *ibid.*

*Mineralium triplex genus.* ibid.
*Minus perfectum quid.* 191.234
*Minoris perfecti consideratio.* 201
*Miraculum adeptum ex habitu quid.* 153
*Misericordiæ radix.103.causa.* ibid.
*Misericordia unde.* 104
*Mixtio quibus fiat.* 186
*Mixtionis consideratio.* 201
*Mixtione planetarum inter se variatur lapidis conditio.* 231.232
*Mors quibus iucunda.131.quid.* 93.131
*Mori perpetuò quid.* 103
*Motus quid.79. naturalium triplex. 27: Philosophicus duplex.ibid.Naturalis duplex.ibid.Accidentalis duplex.ibid.Rectilineus triplex.ibid.Perpendicularis duplex.ibid.Curuilineus duplex. ibid. Circularis duplex.ibid.animæ duplex. ibid. animæ humanæ triplex habetur.* ibid.
*Multiplicatio minor.197.quid.* 234
*Mundus elementaris quot, & quibus constet.* 18
*Mundi pulchritudo.125. peregrinatio. ibidem. fabrica.* 123
*Mundi fabricæ mira conclusio.* 125

## N.

*Naturæ quid. 9. magnetica.ibid.quotuplex.66.quæ potior.ibid.incorruptæ quid. 85. primæ quid.162. quid verè dici potest.169.quomodo & per quid operetur.* 175

Naturæ

*Natura binum instrumentū. 9. circularis operatio. 11. vinculum. 12. sulphur quid.* 220
*Necessarium quid.* 90
*Necessitas quid.* 95
*Nihil quid est.* 93
*Nullus quis.* 94
*Nutrix chymica quid.* 17

## O.

*Occultatio medicinæ chymisticæ sub metallis.* 24
*Odij causa in Paracelsum.* 3
*Odisse corpus in animæ quid.* 82. *animam in corpore quid.* ibidem.
*Oleum nostrum.* 199. *quid.* 235. *incombustibile.* 223
*Olei solis descriptio.* 165. *eius digestionis corpus.* ibid.
*Oleorum destillatio per descensum.* 47
*Omnia cœli ac terræ contenta cognoscere.* 108. *vnde. ibid. & quò redeant.* ibid.
*Omnium in vnum adductio.* 23
*Operatio quid.* 191. *chymistica quotuplex.* 29. *chymistica.* 13
*Operatorium chymisticum.* 16
*Operationis consideratio.* 202
*Opinio quid.* 8. 100
*Opus chymisticum quotuplex.* 38
*Ouum philosophorum quid.* 188

## P.

*Paracelsus cur Germanicè vel maternâ linguâ scripsit.* 24.

*Partes dum adhuc sunt in suo composito vel mixto, suas proprias vires exercere non possunt. 163. naturam sui totius retinere. 169. Chaos artificialis qua.* ibid.
*Pater chymicus quid.* 18
*Patria felix olim.* 116
*Paupertatis remedium quod.* 126
*Pax quid.* 108
*Pacis causa.* 103
*Paruus mundus quid.* 170
*Peccatum quid.* 93
*Perfectum nihil praeter vnum.* ibid. (*ma.* 83
*Perfectionis causa. 21. rerum omnium causa potissi-*
*Personarum acceptor cur Deus non sit.* 101
*Petere verè quid.* 87
*Pietas quid. 95. vnde. 100. circa qua versatur.* ibid.
*Piorum afflictionis vera causa.* 117
*Pigritiæ & somnolentiæ causa.* 70
*Philosophia quid. 119. speculatiua quid. 77. in quibus consistit. 86. chymistica quid.* 10
*Philosophiæ bina via. 8. Græca pabulum quibus nauseam excitat.* 119
*Phlegma medij.* 226
*Physices principia.* 169
*Pœnitentiæ obstaculum.* 117
*Potentia quid in adepta philosophia. 151. metaphysica.* 191
*Potentiæ consideratio.* 201
*Praxis chymistica. 28. quid sit.* ibid.

*Præpara-*

*Præparatio quînam, & cum quibus fieri debeat.* 41
*Precioſorum lapidum fabricatio.* 239
*Pretium vile carumq; quid.* 102
*Principiorum naturalium triplicitas.* 12. *horum ac mediorum huius artis comparatio.* 202
*Proprium quid homini.* 92. *cuiq; quid.* 102
*Purgatio ſine exoneratione alui.* 160. *radicalis. ibid.*
*Purum vnde dicitur.* 167

## Q.

*Qualitatum ſeparatio.* 175
*Quinta eſſentia quid.* 172. *vnde trahatur.* 175. *cur omnibus & ex omnibus æqualis ſit.* 176
*Quinta eſſentia metallorum.* 233
*Quintæ eſſentiæ vini præparatio.* 45

## R.

*Radix inſtitutionum Dei.* 144
*Ratio prima quid.* 78. *cuius, & quid ſit.* 138
*Rationis officium.* 137
*Rationalia quo modo intelligunt.* 138
*Rectificatio quid.* 93
*Reconciliationis cum fratre myſterium, à quo diſcendum & exercendum eſt.* 103
*Regio mundi tertia.* 127
*Regenerationis inchoatæ confirmamentum.* 93
*Rerum occultæ vires per ſeparationem aliquando manifeſtantur.* 149

*Resolutio quid.* 159
*Rotæ circulus.* 178

## S.

*Sal naturale hominis ex quo generetur.* 162. *philosophicum.* 160. *philosophorum quid.* 234
*Salia hominis quomodo reducuntur in calcis naturam.* 163
*Salis philosophorum tinctura.* 161. *aquæ extractionis formula.* 156
*Salutis domum quibus gratituitam.* 161
*Sanguis in hac arte.* 184
*Sapiens quis.* 81. *quid quærat.* 106. *cur dominetur astris.* 81
*Sapientia latens.* 92. *non venalis in vniuersitatibus. ibid. vbi quærenda, & vbi sit.* ibid.
*Sapientes maximè qui sint.* 120
*Scala philosophica.* 8. *eam scandendi modus.* 105
*Scriptura cui comparanda est.* 114
*Seminum destillatio.* 54
*Semen Domini.* 140
*Senectus pons.* 127
*Sensus quid.* 79
*Separatio quid.* 199. *duplex.* 175. *prima hominis cur facta.* 169. *secunda.* 178
*Separata rursum vnienda.* 136
*Separatio per vehiculum.* 176. *puri ab impuro quomodo fiat.* 175. *rationalium duplex. sensibilium & inanimatorum etiam duplex. ibid. philosophicè moralis.*

*moralis. 80. quibus datur, qui ſunt ad eam minùs apti. ibid. voluntaria. 89. vnde ſumat exordium. 105. artificis neceſſaria primò. 108. metaphyſica per ſe facta.* 175.

*Separationis conſideratio.* 202

*Separationis naturalis hominis cauſa.* 136

*Separationum inſtrumenta.* 135

*Separationis compendiolum in opere.* 134

*Siccorum deſtillatio.* 55

*Sol philoſophorum quid. 162. vbi viſibilis, & vbi inuiſibilis exiſtat. 163. terreſtris quid.* 164

*Solis quinta eſſentia quid.* ibid.

*Solutio quid. 38. quot fit modis.* ibid.

*Sophia quid.* 119

*Spiritus quid. 197. corporum.* 234

*Spirituum differentia.* 230

*Speculari & imaginari vel cogitare cuius ſunt officium.* 239

*Stellæ cœli quibus correſpondent.* 168

*Stabile quid.* 152

*Studium philoſophicum. 90. 98. chymiſtarum.* ibid.

*Studiorum mater altera.* 123

*Stomachorum in corpore multitudo.* 84

*Sublimatio minor.* 229

*Sulphur naturale hominis cur à creatione media recedit in primã. 162. naturale hominis ex quo generatur. 162. naturæ. 198. 234. quare neceſſariũ.* 231

*Summum bonum Chriſtianorum. 98. Gentilium. 97*

*Sexum alterutrum alterum continere.* 107

## T.

*Tadium rerum vnde.* 132
*Theriacalis aqua.* 158
*Tempus operationis.* 204
*Terra quid.* 10
*Terræ vires quæ, & vnde.* 18
*Terrena quibus detegi debeant.* 107. *quibus cœlestia.* ibid.
*Tertius numerus quid.* 186
*Tertium metaphysicum quid.* 199
*Ternarij reductio in vnarium.* 16. *excellentia.* ibid.
*Thesaurus hominis est in homine. & non extra ipsum.* 162. *naturæ, latens in omnibus.* 88. *filiorum quibus denegatur.* ibid.
*Timere seipsum.* 132
*Timoris & metus ablatio.* 152
*Tinctura ex quibus.* 235. *quid.* 198
*Tractus angeli Dei.* 114. *quibusuis fit, non tamen nisi à paucissimis percipitur.* ibid.
*Transmutare nemo potest, nisi & creare.* 102
*Transmutatio mira.* 106
*Transmutationes metallorum quæ describantur à philosophis.* 22.23
*Transmutationis metallorum inuestigatio philosophica.* 22
*Transmutationibus naturalibus demonstrari artificia-*

*ficiales.* 149

## V.

*Vacuum nihil, & quo repletur.* 13
*Vallis miseriæ.* 133
*Vasa naturæ quæ. 37. chymistica quid.* ibid.
*Vndè constant.* ibid.
*Vegetabilia quæ sint. 25. diuersimodè corpus assumenda.* ibid.
*Vegetabilium triplex genus. 25. cum animalibus communio.* 27
*Venter chymicus quid.* 18
*Verum quid.* 90
*Veritas in quo sita. 151. ex quibus, & in quibus consistit. 145. vbi quærenda. 151. sociam non admittit.* 93
*Veritas rerum naturalium occulta.* 145
*Veritatis comparatio quædam. 90. effectus.* 94
*Veritatis proprietates.* 95
*Versio chymica.* 16
*Via pœnitentiæ. 114. resipiscẽtiæ. ibid. veritatis. 128. contractiß. difficilisq;. 114. erroris lata. ibid. laterales eius, vt infirmitatis, paupertatis.* ibid.
*Videre pro intelligere.* 162
*Videre & audire differunt in fide.* 146
*Vinculum indissolubile quid.* 16
*Vinum philosophicum quid.* 171
*Vini spiritus forma.* 157

*Virtus quid.*151.*rerum quid.*145.146.*vnde petenda.* 151. *à quo dependet.* 145. *in hominibus quid.* 146. *à fine vel scopo dignoscitur à vitio.* 151. *dici quid non potest.* 145

*Virtutes Christianorum quæ.* 145. *quando vitia fiunt. ibidem. cur philosophi malè descripserunt. ibid.*

*Virtutis fons quid efficiat.* 148

*Virtutum carcer.* 146

*Virum solum, aut fœminam solam, integrum esse neutrum.* 110

*Vita quid.*131.*æterna quæ.* 103

*Vitæ initium quod.* 131

*Viuere verè quid.* 143

*Vitiorum origo.*125.*materia prima.*18.*potissima radix quæ.* 138

*Vitrioli præparatio.*41. *olei vires & virtutes.* 44

*Vocabulorum artis definitiones.* 180

*Vltima rerum materia quid.* 164

*Vnde potissimùm noscitur artifex.* 101

*Vnguentum philosophorum.* 223

*Vinum philosophicum.* 178

*Vini nihil adesse cur.* 93

*Vino prima vnde. 89. secunda. 86. tertia. ibidem. quando dicitur. 82. qua ratione fieri debeat.* 80

*Vnde progressum primò habere debet. ibidem. qua ratione est indissolubilis.* 110. *qua solubilis. ibid.*

10174070

# INDEX.


*Vnitas quid.16.rei quid.176.metallorum.* 230
*Vnitatem non diuidi.* 16
*Vniones plures in vnum conflare.* 245
*Vniuerſalis forma quid.* 168
*Vniuerſalis materia quid.* ibid.
*Vniuerſalis mercurius.* 225
*Vniuerſalem medicinam inueniendi ratio.* 179


FINIS.

BSB
MÜNCHEN

10174070

10174070

10174070

10174070

10174070

10174070

10174070

10174070

10174076

10174070

10174070

10174070

10174070

10174070

10174070